

468

~~Wey
75+~~

Proprietary XVII - 175

CHIRVRGIA
SPAGYRICA
PETRI IOANNIS FABRI
DOCTORIS MEDICI
Monspeliensis.

IN QVA DE MORBIS CVTA-
neis omnibus Spagyricè & Methodicè
agitur, & curatio eorum cito, tutè,
& iucunda tractatur.



TOLOSÆ,
Apud PETRVM Bosc', Bibliopolam.

M. D C. XXVI.

Cum Privilégio Regis.

CHIRURGIA
SPAGYRICA
LIBRI IODINIIS FABRI
E OCTO RIS MEDICI
MONTIBELLIENSIS



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF BONN
GERMANY



DOMINO DOM.
D E B V E T ,
D. DELBERNET,
ET IN SVPREMA
TOLOSATVM CVRIA ,
Senatori clarissimo &
integerrimo.

H Y M I C O - C H I-
rurgicalum opus, sacro di-
uinæ Themidis Antistiti,
aduersus huiusce temporis
Zölorum impetus, tuen-
dum offerre, non solum huius operis tenui-
tas, & imbecillitas, sat etiam ratio ipsa, &
decor, clare admodum dictant, absolum
esse, & incongruum. Nefas enim est, tan-

EPISTOLA

rum virum, à sacris iustitiae exercitijs auer-
tere, quibus adeò totus, totis datur & occu-
patur, ut momenta temporis maximo sint
pretio: veri, tamen legitimique (ut me decet)
decoris ne sim oblitus, & aequi verique peni-
tus immemor, humanitatem immensæ lite-
raturæ indissolubili vinculo conglutinatam,
qua illum præstare præ cæteris prædicant
omnes, supplicem habere cogar, ut hoc
παραδοξον, tamquam veri simillimum, ne di-
cam ευδοξον, defendere mihi concedatur:
Chirurgiam iustitiam veram esse: hæc enim
cùm sit constans perpetuaque voluntas, ius
suum cuique tribuendi, compescendique vio-
lentos, & præter gentium leges, concitatos
humani animi motus & impetus, extra lan-
tes aequi bonique libratos. Illa vero intem-
perata naturæ humanae constitutiones, so-
luta vnitate confusas, in temperatam erige-
re consonantiam & harmoniam nata sit:
iure merito videtur Chirurgiam iustitiae
quandam speciem esse, solutam enim resti-
tuit partium vnitatem, vitali nectare quo-

viuunt hac solutione defraudatam , tamquam ius peculiare & naturale , partibus omnibus natum . Quod enim exterius hominibus ius & commodum dici potest , vitæ balsamum viuificumque nectar , quo viuimus & conseruamur , meliori titulo ius nostrum , verum & legitimum dici poterit , Chirurgiamque iustitiam veram esse , cum desperatum illud balsamum tamquam ius nostrum verum & legitimum nobis restituat , libratis æqualiter secundum naturæ leges & artis , cuiuscumque partis , corporis nostri mensuris & ponderibus . Non ergo dissonuerit , SENATOR CLARISSIME ET INTEGERRIME , Chirurgicam hanc iustitiam , sacro tuæ Themidis templo recondere , ut ab inuidorum liuidis vnguibus defendatur : quamplurimi enim eorum turmatim in hanc ad vituperandum insurgent , at concitato aëri simillimus , quæ me excitabunt ea ipsa frangam & disperdam , tuo potissimum clypeo tectus , victoriaque istius spolia , ampla quidem , memorie per-

6 EPISTOLA DEDICATORIA.

petuæ templi tholis appendam, in laudem &
gloriam nominis tui , tēque Theseum verè
meum , & Herculem , hīc & ubique terra-
rum proclaimabo. Vale. Pridie Calendas
Aprilis , anni CIC. D C. XXVI.

Tux H. M. Q. Deuotus
PETRVS IOANNES FABER
Medicus Philochymicus.



PRÆFATIO IN CHIRVRGIAM

SPAGYRICAM.



HIRVRGIA est pars Medicinæ adeò nobilis & præstans vt antecellat omnibus alijs eiusdē Medicinæ partibus, honorēmque & titulum sibi vendicet, primam inuentam fuisse, primāmque corpori humano opem tulisse. Nam quos primos medicos celebrat antiquitas, Chirurgos fuisse clarum est; Chiron, Podaliarius & Machaon, diuini Æsculapij soboles, Chirurgi potius fuere aut Chi-

*Antiquitas
Chyrurgie.*

rurgiam exercuere artem , quām
aliam Medicinæ nostræ partem , vt
videre est passim apud Homerum,
qui carminibus eos Chirurgos in-
signes celebrat & decantat , vulnera
Græcorum in Iliaco bello methodicè
Chirurgia & dogmatice curantes. Ratio etiam
quare prius postulat hanc Medicinæ partem pri-
mò inuentam fuisse , humanoque cor-
pori salubres & auxiliares intulisse ma-
nus , quòd morbos quos ipsa tractat
manifestos prius fuisse , & intellectui
humano prius patefactos & cognitos
fuisse , alijs omnibus internis affecti-
bus , quos tractat Diætética & Phar-
maceutica medicina , qui solo intel-
lectu comprehenduntur. Alij verò
quos Chirurgia tractat , sensibus ex-
ternis percipiuntur , vnde necessitas
ipsa , coëgit ipsos homines indagare
prius medelam cutaneorū affectuum
tamquam palpabiliū , quām inuisibili-
ū , & ratione sola , & mentis vi com-

prehensorum, in quorum cognitione coniecturis certis semper vtendum est, quibus tanquam fallibilibus ipsa ars nostra, à Zoilis vituperatur & contemnitur. At Chirurgia nullis hisce coniecturis ambiguisque subiectis intricatur, quia ea omnia quæ tractat visibilia sunt & palpabilia, ea etiam visibiliter curat & sanat, ideo mirabilis est eius theoria & practica. A quibus partibus miram definitionem elicunt Medici Spagyrici his verbis: Chirurgia est scientia qua cognoscitur balsamum internum naturale corporis humani, quo partes omnes singulæ conseruantur, nutriuntur, & fouentur, quo cognito, docet applicationem externam alterius balsami illi similis & homogenei, ad curationem omniū cutaneorum affectuū qui ulceribus, tumoribus, vulneribus, fractiōnibus & luxationibus comprehenduntur: hæc definitio dogmaticas excellit

definitiones, quòd in ea lateat arca-
num certum & verum curandi om-
nes affectus cutaneos, & verum subie-
ctum totius Chirurgiæ circa quod
versatur, quapropter anteponenda est
omnibus alijs, & Chrurgia Spagyri-
ca summopere indaganda, tanquam
Chirurgorum omnium decus & ho-
nor, & ægrorum vera salus & tuta.
Insurget Zoilus? me Hippocraticū &
Galenicum Medicum non debere tot
laudibus & encomijs hanc nouam do-
cendi methodum extollere, quæ cùm
noua sit erroribus plenam esse non
diffidendum, cùm certum sit Hippo-
cratem scientiæ patrem, & Galenum
Medicinæ coryphæum non approbasse
vlo pacto hanc scientiam cùm de ea
nullam mentionem fecerint, & idcircò
futilem & inanem eam existimasse cre-
dendum est: me autem prudentio-
rem & intellectu acutiorem Hippo-
crate & Galeno existimare vanitatis &

gloriae summum esse symbolum. Respondeo hanc scientiam quae Spagyrica dicitur, & quae Medicinæ famulatur & arcana infinita subministrat, nouam minimè esse, sed antiquissimam, Hermete eius Professore testante, & Democrito qui tempore florebat Hippocratis. Quod si Hippocrates & Galenus hanc non nouerint scientiam, hoc est quod in Ægypto nunquam peregrinarint in qua sola terræ parte vigebat, tunc temporis scientia Spagyrica, & apud Ægyptios in arcanis & secretis erat, & cabalisticè tantum amicis & filijs demonstrabatur. Adde etiam quod hec scientia rationibus perquam maximis & experientijs abundet & veritate, veritatem potius, & rationem sequar quam authoritatem & fidem alicuius authoris, dictante Hippocrate & Galeno infinitis fere locis, veritatem & naturam in physicis esse sequendam. Quapropter si Spagy-

12 PRÆF. IN CHIRVR. SPARGY.

ricam artem sequar, & palam argu-
mentis defendam, hoc est, quod in
ea veritas & ratio elucescat quibus
tueri meretur, non contemptâ vlo-
pacto Galenicâ & Hippocraticâ
doctrina, quibus iunctis
Medicus fit admi-
randus.



SECTIO I.

DE TUMORIBVS CONTRA NATVRAM.

*QVID SIT TUMOR APVD
Spagyricos Medicos.*

CAPUT I.



P v d Spagyricos Chirurgos tumor pr̄eter naturam in corpore natus dicitur : materialis intemperies balsami naturalis , quod corruptione primordialium suarum substantiarum salis, sulphuris & mercurij , dissoluit vniōnem partium : & vitiat earum debitam magnitudinem figuram & naturalem situm : hæc definitio secum continet quidquid est necessarium ad cognitionem tumoris pr̄eter naturam & curam illius , & indicat necessariam fore cognitionem balsami naturalis etiam Chirurgo qui laudem , & honorem

in arte sua quæritat; ideò antequam de tumoribus verba faciamus, balsamum illud naturale corporis nostri pabulum & fōtum, inuestigabimus, & notum faciemus.

Balsamum naturale quid sit.

C A P V T I I .

*Balsamum
naturale
quid sit.*



V O D Chymici Philosophi balsamum naturale dicitant, Hippocrates, Galenus, & alij Medici omnes ciusdem sectæ, humidum radicale appellant partium proximum alimentum, humorem vitæ, substantiam vitalem, & alijs fere infinitis nominibus vtuntur, vt his, virtutes, proprietates, & energias illius substantiæ indicare valent, Chymici præterea communi illorum idiomate Mercurium vitæ illam substantiam vocant, quod humorem omnem qui secum continet vitæ spiritum inclusum, mercurium dicitant, & quia balsamum istud naturale quod & aliud humidum radicale dicitur, surgeat spiritu vitæ, ideò iure merito mercuri dicitur: hæc nomina humidum radicale, substantia vitalis, humor vitæ, balsamum naturale & alia similia, non habent tantum significandi energiam neque possunt ostendere virtutes & proprietates istius substantiæ tam efficaciter, & energeticos quam vocabulum istud (Mercurius) quia cum Mercuri planeta cœlestis soli cōnectitur, est Sol, cum verò lunæ copulatur est luna, cum Iovi Iupiter, & sic de reliquis, cum communis sit omni-

bus & habeat easdem ferè virtutes & proprietates planetarum quibus connectitur; sic pariter humor iste virgineus & elementa constituunt, ad generationem & conseruationem rerum omnium, mercurius dicitur ob sympathiam quam habet cum mercurio cœlesti: dum enim carni annexatur caro fit, dum ossi, os generatur, & sic de reliquis corporis nostri partibus in quas per alijmentum transformatur, habens virtutes & proprietates easdem, cum partibus quibus connecti-
tur ad conseruationem earum & nutritionem: Et quemadmodum fabulosa & mysteriosa antiquitas mercurium deorum nuncium esse testatur, Iouis que filium & Alumnum: Pari ratione mercurius noster, est elementorum nuncius: mixtiones eorum & uniones sua compage constituens, filius est Iouis, hoc est, Dei veri, verus est filius, & vera creatura, ex qua omnia quæ extant in rerum natura per creationem in instanti facta fuerunt, hinc sit quod humor iste virgineus seu mercurius in omnibus rebus reperiatur, & in cœlo præcipue, ex quo in terris descendit influentiarum radiorumque cœlestium ope, & miscetur præcipue aëri quo animalia, vegetantia & mineralia opus habent ad conseruationem & generationem ipsorum, quod in aëre latitare plus spiritus virgineus, quam in reliquis alijs omnibus elementis. Antiqui præterea poëtae mercurium cœli & diei filium fecerunt, mercurius itidem noster substantia vitalis, & quod balsamum naturale dicimus, nonne filius est cœli & diei, cum indesinenti fluxu à cœlo descendat in elementa, & cum humiditas quæ reperitur in circumferentia mediae regionis secum rapiat & con-

cludat illam vim vitæ, soléque, surgente, & aurora radiante, humiditas illa spiritu vitæ impregnata in rorem descendat super terram ad alimentum & conseruationem & generationem omnium rerum. Cœlum hanc vim vitæ spiritualiter ex se ipso elicet, elicitaque in aëris humiditatem immittit, quæ aurora surgente & sole, cedit in terram beneficio roris, hinc percipimus oculitus antiquos omnes Philosophos multa cum ratione & profunda rerum speculatione has mysteriorum naturæ fabulas excogitasse, eaque sic occultasse rerum mysteria: colligimus etiam Medicos chymicos substantiam vitalem & humidum radicale, rectissime & optime Mercurium vocasse quod eo solo nomine, occultaque sua historia proprietates omnes & virtutes illus substantię percipi queant, & definitionem ipsam ipsius substantię valeamus colligere: Quam definitionem sic construemus, Mercurius est spiritus vitæ quem Deus cresuit ad fabricationem mundi & conseruationem. Aut, Mercurius est quinta essentia omnium clementorum spiritu cœlesti impregnata ad generationem & conseruationem rerum omnium. Aut, Mercurius est humidum radicale totius mundi, ex quo omnia fiunt, nutriuntur, fouentur & conseruantur. Aut si ad solum hominem definitionem illius accommodare velimus, Mercurius erit substantia proxima ex qua immediate parties corporis humani fiunt, nutriuntur & conseruantur in statu naturali.

*Definitio-
nes Mercuri-
rij.*

Ex quibus substantijs balsamum naturale seu Mercurius vita componatur.

C A P V T III.

ME D I C I Spagyrici constituunt, *Compositionem rerum omnium immediate fieri ex tribus diuersis substantijs, quas vocant, sal, sulphur, & quibus fiat, mercurium.* Dixi immediate, quod

Chymici non negent, & improbent mixtionem rerum omnium mediatam ex quatuor elementis, hanc autem admittunt compositionem, ex sulphure, sale, & mercurio, non disparti ratione, ac Medici Hippocratici compositionem admittunt, corporis humani, ex sanguine, pituita & vtraque bile, Medicos Chymicos hac in re sentio, & iudico subtiliores, in rerum cognitione, quam alios, quia manifestum est, & omnibus appetet, in sanguinea massa mercurium, salem, & sulphur latitare. Mercurius appetet clarissime, cum sit humor vita, ex vita in quo viuimus, hunc autem humorem fatentur omnibus reperiennes Medici, in sanguinea massa latitare, sub alio tunc humori- tamen nomine, humidi nempe radicalis: sal au- bus. tem appetet in urina, in sudoribus, in saliuia, in quibus omnibus maximè turget, & verum sal solutum est, in eorum substantijs. Sulphur verb manifestum appetet in Axungis, & pinguedinibus, quæ in corporibus nostris reperiuntur, & in meteoris igneis, quæ ex corpore humano, & alijs animalibus, equis, & canibus, eliciuntur, qui be-

ne curata cute, solo frictu igneos radios, & flamas incomburentes emittunt, quod nunquam posset fieri, nisi actu & verè esset, in eorum corporibus sulphur inflammabile, & combustibile, cuius subtiliores & tenuiores partes tamquam flores, circa cutem animalium efflorescunt, ibique solo frictu excalafacti, in flamas abeunt, & sic manifestæ sunt hæ substantiæ sal, sulphur, & mercurius, in massa sanguinea, in qua mercurius omnibus alijs prænitit, & præcellit, cum sit ut diximus humor vitæ ex quo partes omnes nutriuntur, & conseruantur. At insurget aliquis? Est ne possibile ut mercurius componatur mercurio, & se ipso constet? ita est veluti humidum radicale componitur humido. Nam Chymici omnem substanciam aqueam mercurium dicitant, & sulphur sal genera-

*Mercurius sulphur & sal gener-
liter dicun- tur.*

omne humidum ignibile, & sal omne humidum quod frigido & humido dissoluitur, & calido & sicco congelatur. Facile iam est asslere, hanc ternam chymicorum, in substantijs omnibus compositionem, cum oculitus & manifestè reperiantur hæ substantiæ in mixtis omnibus, & cum natura fagax & prudens, chymicis omnibus quotidie per experientiam, circa separationem harum substancialium prædicta ostendat, ut separet purum ab impuro, & vindicet humidum radicale & balsamum naturale ab omnibus rebus heterogeneis. Nam illæ substantiæ quæ separantur ab humido mixti, non sunt similes in qualitate, his substancialijs quæ remanent; nam hæ sunt acres & mordaces, alia vero quæ remanent, ut partibus sint alimento, dulces sunt, nec differunt inter se essentia- liter in compositione humidi radicalis. Etsi hanc

compositionem ternā admittam & approbem, non propterea medicorū Galenicorum compositionem ex sanguine, pituita, bile, & melancholia improbare volo, at summi opere probo, & tamquam ex cogitatu miram & doctam laudo. Attamen in illa ipsa compositione sanguinea pituitosa, biliosa, & melancholica, & in illa massa sanguinea ut aiunt, reperio meam ipsam, & chymicorum compositiōnem, ex sulphure, sale, & mercurio. Quam obrem ne in cognitione naturæ (quæ cum sit una, varias scientias & cognitiones veras producere non potest) Medicos chymicos & Galenicos contrarios faciamus, dicemus compositionem balsami naturalis, seu mercurij vitæ, quatuor constare humotibus, sanguine, pituita, & vtraque bile, tamquam vehiculis harum substantiarum, mercurij scilicet, salis & sulphuris, quæ substantiæ latitât in massa sanguinea, non secus ac alij tres humores, pituita, bilis & melancholia in sanguine. In venis nihil est manifestum, nisi sanguis, reliqui humores quid sit occulti sunt, massam hanc sanguineam chymica apud Chyratione mercurij nomine insignire possumus, propter mercurium in eo abundantem, & turgentem quid sit attem: bilem verò, quæ reperitur separata in chyste fellis, dicete possumus mercurium sulphuris, Pituita, corrupti & adusti, nam humidum calidum & dulce, forti coctione mutatur in amarum, & aliud colorē suscipit. Pituitam vocare possumus mercurium spiritu vitæ priuatum, ideo natura expellit illum, tamquam imutilem, & nimis aquosum: melançoliam verò dicimus, mercurium terrestrem & fœculentum & unico nomine tartarum quod chymici omnes fœculentum, & scoriam tar-

tatum dicant ad imitationem tartari vinosi, quod separatum dum spiritus vita vini, vinum ipsum depurat, & conflat in dolis, fæcum & amurcam separando, & omne durum & terrestre excrementum, illud ipsum chymici tartarum dicunt, & ita non admodum contrarij videntur Medici Galenici, Chymicis.

De differentia tumorum ex chymica doctrina.

CAPUT IV.

Differentie  VENAMODVM Medici Galenici tumorum differentias definitur ex humorum corpus constituentium differentijs. Alios enim faciunt sanguineos tumores, pituitosos alios, melancholicos & biliosos, sic & Chymici pari ratione secundum substantias quas constituentes statuunt tumorum differentias desumere possunt. Nam flagmonas simplices tumores sanguineos chymici appellant mercuriales tumores, quod his mercurius prædominetur, Erysipelata vero dicunt sulphureos tumores, quod humor igneus & sulphureus ibi excellat, & œdematosos tumores faciunt salitos & ex sale suo ortos, quod in phlegmate & pituitoso humore, sal chymicorum comprehendatur: & scyrrhosos humores tartareos dicitant, quia quod illis tartarum est, est fæx, & amurca reliquorum humorum qui balsamum vitæ constituant: hoc autem excrementum tartareum

humori melancholico Galenicorum perquam optime quadrat, nam ut humor melancholicus est excrementum massæ sanguineæ, sic humor tartareus est excrementum balsami naturalis.

Obiectet Zölius, cum humor tartareus faciat & *Obiectio* ^{an} constituat scyrros deberet etiam ingredi compositionem balsami naturalis nostri, quem tamen *humor usum* omisimus. Respondemus nullum excrementum *ralis*.

Solutio.
Täquam reiectaneum inutile posse & debere compositionem balsami vitæ constituere. Attamen cum vitiatur, separatur, & incommodum malumque vitæ adfert, potest adnumerari malis reliquis & morbis. En iam quatuor simplices differentias tumorum, quas chymicophilosophi & medici possunt deducere ex his quatuor simplicibus substantijs, sale, sulphure, mercurio, & tartaro. Quæ substantiae cum inuicem possint permisceri, permixtæ faciunt etiam permixtas & compositas humorum doctrinas, non dissimili ratione ac humores Galenicoru permixti permixtos cōstituunt humores: nam mercurialis sulphureus tumor responderet quadam ratione phlegmoni erysipelatoso Galenicorum, & tumor mercurialis salitus tumoti phlegmoni pituitoso quadrat, œdema vero scyrrosim responderet tumori salito tartareo chymicorum.

Cum particularium & singulorum tumorum notas & capita perquiremus, eorum etiam differentias maiori & longiori eloquio pertractabimus. Iam verò concludendo dicemus omnes doctrinas tumorum siue simplicium aut compositorum quæ à chymicis aut Galenicis Medicis possunt excoigitari, in relatas differentias in præsenti capite

posse resolui, quod clarius in capitulis subsequen-
tibus Deo dante exponetur.

*De causis effientibus tumorum omnium ex doctrina
Chymica.*

C A P V T V.

*Causa effi-
cientes tu-
morum.*

ME D I C I Chymici admittunt, & con-
cedunt, vt & Medici Galenici, inter-
nas & externas causas antecedentes &
consequentes, ad generationem tumo-
rum, ad doctrinam faciliorem: et si enim causas ma-
teriales coniunctas admittant diuersas nomine &
re, nihilominus tamen concedere necesse est alias
similes causas, quæ concurrunt ad generationem
tumorum. Alioquin falsam sustineremus doctri-
nam Hippocraticam quod absit, non enim Chy-
micam doctrinam sustinemus & amplectimur ut
Hippocraticam abnegemus sed subtiliorem & acu-
tiorem in arcanis naturæ indagandis Chymicum,
ostendimus. Si tamen hæ doctrinæ diuersis lo-
quantur terminis, non tamen contrariae sunt, quod
diuersitas terminorum consistat tantum sèpissi-
me nomine non re, vnde fundamentaliter & es-
sentialiter consentiunt & in eamdem abeunt sen-
tentiam, Sermo enim & loquendi facultas, non
est scientia ipsa, sed tantum cortex & tegumen-
tum, quo scientia inuoluitur. Homo vestibus hol-
sericis tectus & ornatus, non differt essentialiter
ab homine, attritis & vilibus tecto vestimentis,
ambo enim sunt homines. Pari ratione se habent

Scientia Chymica, & Scientia Galenica, ambæ docent naturæ centrum & naturæ purum, at vna facilius quam alia & verbis efficacioribus, sed in his omnibus latitat scientiæ fundamentum vnicum & solum quod summopere necesse est, ut ambæ sint scientiæ, cum enim Scientia vniæ sit, fundamenta etiam & principia illius vniæ esse debent, quod Chymiei obseruant & verè dogmatici sunt ut & aliij, & in præsenti capite huius libri manifestum est, non eos contrariari medicis Galenicis quoad medicinæ fundamentum. Medici enim Conferunt Hippocratici admittunt inter causas materiales coniunctas, omnes humores liquidos qui præter naturam fluunt in partem affectam, ibique innunciantur scientia Galenica & Chymica. mescunt: Medici vero Chymici illum humorem fluentem in partes tumore affectas vocant balsamum naturale, mercurium vitæ, qui cum trinus sit in essentia, constituit etiam tria genera tumorum quæ ex tribus substantiis materialibus coniunctis ortum habent, ex sulphure scilicet, sale & mercurio, & quia hæ tres substantiæ excrementum fundunt, quod tartarus dicitur, admittunt aliam causam naturalem coniunctam per accidens, constituentem vnum genus peculiare & particulare tumorum, & sic quatuor causas agnoscunt materiales coniunctas tumorum omnium. Ut & Medici Galenici qui humorem fluentem in partem, materialem coniunctam causam tumorum omnium dicunt, & hæc causa cum quaternis constet humoribus, sanguine, pituita & vtrahile, dividitur in quatuor causas materiales coniunctas tumorum, & sic in re conueniunt, & quadrant hæ scientiæ, Chymica & Hippocrati-

ea, quamvis vocabulis discrepare videantur : humores Galenicorum admittunt Chymici ; at in his latitare sulphur, sal & mercurium, omnino contendunt, & humores Galenicorum esse vehicula harum nostrarum substantiarum, tumores & morbos omnes constituentium, ex diuersitate corruptionis, & lesionis partium omnium, dum enim sal, sulphur, aut Mercurius corrumpuntur, aut alterantur, à causis præter naturam, liquores & humores, quibus coercentur hæ substantiae alterari & corrumpi etiam necesse est, ex qua corruptione & alteratione, in toto, aut in parte, sequitur morbus.

De Temporibus tumorum secundum Chymicam doctrinam.

C A P V T V L.

ME D I C I Spagyrici, præter quatuor Galenicorum Medicorum tempora, principium, augmentum, statum, & declinationem, quæ in tumorum generatione constituunt, admittunt & alia tempora, quæ ab his aliqua ratione differunt, quæ tempora desumunt ex motu interni humoris, tumorem causantis, constituentes hac methodo, tempus peculiare definitum, & terminatum unicuique tumori, ut curetur, & desinat in bonam aut malam crisim, modo sciant, prædominantem humorem, & substantiam tumorem facientem, ex hac enim materia dependet tempus illud, in quo

crisis fit tumoris. Ut enim perperacuti morbi, quarto terminantur, acutissimi septimo, & acuti decimo-quarto, sic & apud Chymicos, tumores singuli, statutas habent crises, & finita tempora, suæ coctionis, quæ diuersa sunt, ex diuersitate tumorum: tempore enim longiori vni quam alijs finiuntur & terminantur tumores; Ignei siquidem, saliti, & sulphurei, puri, & simplices, quarto terminantur, vel in salutem, vel in mortem: Si verò mixti sint septimo, veluti est gangrena, carbunculus & Antrax. At mercuriales, saliti, & tartarei, nulla sulphuris portione dominantis per mixti, longo tempore terminantur, & tarde percurrunt sua tempora, antequam maturantur, resoluantur, indurentur, aut putrefcant, quibus modis, natura tumores omnes ad laudatam crisim reducit. In hisce omnibus tartareis & salitis resoluendis, & ad crisim perducendis Chymici Medici constituunt tempora longissima, særissimè enim vni tribuitur annus integer, alteri verò quatuor, alijs septem, vndecim nonnullis tribuuntur anni, quamplurimi verò nunquam resoluuntur; at indurati ægris commoriuntur, propter copiam tartarei humoris, spiritu salis coagulati, qui impedit coctionem & maturitatem tumorum omnium, & est sola indurationis eorum causa. Principium verò & fundamentum coctionis, & pepasmi in tumoribus, est spiritus vita, qui permiscetur balsami naturalis substantijs, quæ dum alterantur & immoderationem patiuntur, tumores præter naturam in corpore constituunt, & hitumores, qui plus illius vitalis spiritus habent, citius ad pepasmum perducuntur, qui verò minus, tar-

diūs etiam eoquuntur. At verò hi, qui nullo vitali spiritu perfunduntur, ità indurantur, ut verè lapides cant in corpore, quod historijs confirmatur quamplurimis: vidi enim & ipse scyrrhos lapi-dosos, & nodos arthritidis lapides factos, & audiui, & legi, apud optimos authores factum ipsum in utero prægnantis mulieris, lapideum factum fuisse, & toto vitæ suæ tempore, hunc lapidem,

Dixi ratiō- pro factu in utero mulierem gestasse, quia cum spī-nem huius ritu vitali, & balsamo priuaretur, alterationem rei in Pal- etiam subire non poterat, nec tempore legitimo, & ladio.

à natura constituto ex utero excludi, & ideo com-mortua est mulier illa, cum tali factu, quæ tamen poterat liberari, à Chirurgo prudenti, absciso utero, & abstracto tali lapideo factu. Pari etiam me-thodo, scyrrhi lapidosi debent tractari, à pruden-tibus Chirurgis, indurati enim à natura, arte no-stra debent extrahi. Itaque tempora quæ Medici

Tempus
anæletum. Spagyrici obseruant in generatione tumorum omnium, sunt tempora, & limites coctionis, & pepasmi tumorum. Qui termini incerti semper reperiuntur, propter confusam & permixtam hu-morum substantiam, quæ tumores generat, quæ cum simplex, & pura nunquam reperiatur in tu-moribus constituendis, ideo etiam terminus, & finis ultimus coctionis tumorum, nunquam cer-tus & verus est.

*Quid agendum in curatione tumorum omnium
ex chymicis.*

C A P V T VII.

N principio tumorum omnium calidorum, mercurialium & sulphureorum, Spagyrici Medici solent, ut dissoluere eos valeant & eorum accretionem impedire, ne in magnam mollem extendantur, repercutione frigida & astringenti vti, purgato prius corpore, pilula vnica mercurij, seu aquilæ chymicæ, vel pilula panchymagogi, vt humores, qui sunt aliquando in motu & turgentibus, & in partem tumore affectam defluentes, foras expellant, vel etiam prius missa sanguine ad eundem scopum, & balsamum vitæ nostræ refrigerant, detrahe (vna cū sanguine) caloris febrilis foco, qui in omnibus præter natum tumoribus, per sympathiam in corde excandescit: hæc autem repercutio frigidis & astringens fit, appositione aquæ distillata, ex vitriolo, vel alumine, calore leuissimo balnei aquæ tepide, ne spiritus acres & mordaces vitrioli, & aluminis, calore fortiori exeant & aquam acriorem, quam postulat usus repercutiendi, reddant; hæc vero aqua ex vitriolo & alumine distillata, subtilis admodum est, & penetrans interiora tumoris, eaque cum frigidissima sit, temperat internum tumoris calorem & sic partem tumore affectam roborat, & spiritu

In principio tumorum quid agendum.

salis, quo mediocriter abundat, impedit ne balsamum partis subito corruptatur & sequatur intensiones coniunctarum causarum : salis enim solus spiritus, est causa conseruationis rerum omnium, & dum ipse integer manet, manet & mixtum integrum & à corruptione liberum ; si vero Quid impe- corruptatur, corruptitur & mixtum. Itaque diat corru- dum spiritus salis integer & ineorruptus aduenit ptionem in alicui parti, ad corruptionem ruent, tunc tempotumoribus. ris spiritus illius partis roboratur simili spiritu, & impedit corruptionem balsami naturalis illius partis, propter vitales spiritus quibus turget & abundat: Hinc Cabalistæ omnes Ægyptij & Arabes communi omnium consensu asseruerunt in sale latere omnia secreta, & vitæ conseruationem, & morborum omnium curationem, perfectionem actionum & facultatum animalium, fertilitatem vegetantium, splendorem & radios lapidum pretiosorum, & rerum omnium vegetabilium animalium & mineralium perfectiones & proprietates, ab spiritu vnico salis dependere : & in Chirurgia sumnum & tutum arcanum est, ad curandos omnes morbos cutaneos, quod modo optimè præparetur, est balsamum homogeneum & simile nostro interiori quo viuimus, & conseruamur, cuius virtutes & miranda secreta detexi in Palladio Spagyrico, & præparationem docui in Myrothecio Spagylico, capite undecimo libri tertij. At quia multi sales sunt, diuersi generis & proprietatis, diuersi etiam erunt, & multi spiritus eorumdem salium, diuersarum proprietatum nihilominus potentissimarum : Et qui extractionem alicuius illius spiritus perfectè sciens, fixionem & dulcifica-

tionem ; perueniet ad summum naturæ arca-num.

Scopus præcipuus totius Chirurgiæ therapeu-ticæ, est extractio salis humani, & ex eo puro & tuis Chirurgice purum elicere spiritum, & hunc denuo sali suo fixo coniungere ut vnum fiant inseparabile, Chymicæ homogeneum & incorruptibile, quo Chirurgus circa suæ gratias summas Deo poterit agere, tamquam habendo medicamento diuino, quod erit morborum omnium cutaneorum tutæ, cœta, & iucunda cura. Docui præparationem huius medicamenti in primo libro mei Myrothecij Spagyrici, octavo capite, cum proprietatibus illius, vsu, & dosi, quo poteris ut intrepide & audacter ad curationem ulcerum & tumorum omnium in omni tempore, exterius & interius, quo habito alia floccipendenda sunt. Attamen quia difficultimum paratu est, nec omnibus licet adire Corinthum, alia medicamenta docebimus paratu faciliora, quæ brevi tempore fiunt nullis fere expensis, & potentissimæ sunt virtutis, ut ostendamus Medicinam Chymicam abundare medicamentis omnis generis Vulcano præparatis, ad subleuamen & curam morborum.

In principio ergo tumoris alicuius mercurialis, In principio saliti, aut sulphurei poterit Chirurgus Chymicus tumoris uti, aqua aluminiis, & vitrioli cum parti quantitate aquæ iusquiam papaueris, lentis aquaticæ, quebus poterit imbuere & madefacere stupas, quibus superponetur albumenoui in spumam agitatum spiritu tartareo irroratum, & hoc cataplasmate repercutere poterit calorem natuum partis, tumorem patientis, & frænare intemperates balsami interioris spiritus, ne ruant in corruptionem,

at sensim dissoluant materiam fluentem & per pos-
tos inuisibiliter expellant, ut sepius visum est.

*In augmen-
to qualia
applicari
debeant me-
dicamenta.* Si hoc cataplasmate tumor non dissoluatur, at
magis accrescat & inflametur, mutanda sunt reme-
dia, & accipiendum est vitellum oui, cui admis-
cebis parum spiritus therebentinæ, parum olei
ceræ, & olei de lateribus, & hisce permixtis fa-
cies basilicon Chymicum, ad suppurationem tu-
morum calidorum aptum, in statu addes aliquid
olei caryophyllorum, aut cinnamomi, ad augen-
dam coctionem & accelerandum pepasmum, &
ad roborandum calorem naturalem partis. Sup-
puratum tumorem apperies scalpello Chirurgico,
vel caustico potentiali, aut actuali: educto pure
vulcus apertum tenendum est & detergendum ter
in die, inductis penicillis oleo de lateribus, vel
oleo myrræ, vel oleo ex vitellis ouorum, & inie-
cto in vulcus per siphonem extracto aristologiz
rotundæ, quod fit ex spiritu vini infuso in radicem
contusam aristologiz, donec coloretur vini in-
star: spiritu deinde balneo mariæ abstracto,
manet in fundo alembici tinctura Aristologiz ro-
tundæ, quæ dissoluenda est in aqua plantaginis,
aut linguæ serpentis ad vlcera detergenda, & tu-
mores omnes apertos detergendos.

In tumoribus frigidis, quos vocant Chymici
tartareos & salitos, qui respondent tumoribus à
Galenicis scyrrhosis vocatis & cœdematosis, pur-
gato corpore & præparato medicamentis è Chy-
mico fonte desumptis, ad antecedentes causas tol-
lendas, sudorificis demum medicamentis iterum
præparandū corpus, ut antimonio sudorifico, quod
alij dicunt minerale bezoar, vel auro tonanti et su-

dorifico, aqua cinamomi permixto, & deinde super tumorem vnguentum hoc applicandū. 2. olei gummi ammoniaci vnciam vnam, olei de lateribus vnciā semis, petrolei dragmas tres, olei caryophilorum. 3j. incorporentur omnia cum sapone nigre, & gummi caramnæ, & reducantur in vnguenti consistentiam, quod erit potentissimum ad resoluendum tumorē tartareum & scyrrhosum tumorī applicatum; ante tamen applicationem illius vnguenti siccabis tumorem diu linteis duris & perunges spiritu tartari: si ad suppurationem hac methodo deueniat, tractandum erit vlcus simili methodo, ac præcedentes tumores, si verò, post quindecim, aut viginti dies applicato vnguento non suppuretur, ad indurationem & lapidificationem deueniendum est, frigidis, astringentibus applicatis, ut salepetra in aceto stillatitio dissoluta, & linteis imbutis tumor madefaciendus, dum autem optimè induruerit, ferro & igne tollendus est, & vlcus, deinde communi methodo ad cicatricem perducendum est; cui operationi intensionis prius vacandum est, ni euidentissime pateat Chirurgi, suppurationis possilitas, citius enim hac methodo curantur, tales tumores, aliás verò definunt in cancrum.

*De Flegmone & eius cura secundum
Chymicos.*

C A P V T . V I I I .

Flegmone
quid.



LEG M O N E apud Chymicos potest definiri: materialis intemperies balsami naturalis alicuius partis, quod corruptitur in suo sulphure & Mercurio laedens & vitians actiones naturales illius partis, & figuram situmque naturalem. Aut aliter: est materialis intemperies Mercurij vitæ alicuius partis, qui excessu suo intemperato laedit actiones naturales, figuram situmque vitiando naturalem corruptione salis sui & sulphuris. Diuersa sunt genera flegmonum quæ Spagyricè diuidi possunt in simplex & compositum, & hæc genera, in astralia & constellata, venenata & maligna diuiduntur. Astralia & constellata dicuntur quibus præter communem corruptionem balsami naturalis aduenit, peculiaris aliqua malignitas, & venenata qualitas ab astris dependens, vt bubonibus pestilentibus, carbunculis, & flegmōsis tumoribus variolarum & morbillorum, qui iure merito possunt deduci in numerum Mercurialium tumorum. Est enim hoc genus, ebullitio & excentrica vniuersalis balsami naturalis & Mercurij vitæ, de quo Deo dante peculiariter tractabimus in pathologia Chymica, quam breui tempore in lucem dabimus: in presentiarum verò hoc in

*Dissilio fleg-
monis.*

In capitulo agetur tantum de flegmone communis, cuius cum duplex gen^o statuerimus: simplex & compositum, utriusque curam, pertractabimus, vna eadēmque methodo, aut saltem parum dissimili, flegmone enim quamvis simplex non sit; at alijs etiam substantijs, sale puta & sulphure æqualiteraut. diuersimode prædominantibus & corruptis componatur, medicamenta tamen quæ inseruiunt corruptioni harum substantiarum, possunt & inseruire corruptioni Mereurialis substantiæ simpliciter dominantis, habenda tamen est cautela in refrigerantibus repercutientibus adhibendis, plus enim in compositis flegmonis (vbi sulphur dominans corrumpitur) refrigerandum est, & repercutiendum, quam in alijs. In salitis, vbi sale dominatur plus suppurandum quam refrigerandum, ne in tartareos transeant tumores, hac cautela adhibita, sequens cura omnibus idonea erit. In primis laxata alio emollienti & refrigeranti enemate, tundenda erit vena basilicæ brachij oppositi humori, ut secundum arabes medicos, debita fiat reuulsio, ad quantitatem virium, robori, ætati, conſuetudini, tempori & regioni conuenientem, in senibus enim parum sanguinis est mittendum, in iuuenibus vero & adolescentibus, in maiori quantitate licet mittere sanguinem, laxata alio, & misso sanguine, ad purgationem deueniendum erit, si tumore affectus cachochymus sit, & humoribus plenus, malignis, & tumoribus obnoxius. Poterit autem purgari syrupo rosato solutio Chymico, aut panchymagogo Chymico, aut antimonio preparato, sequenti. V. Antimonij & Mercurij sublimatianæ æquales partes, ponantur in retortæ:

ta & distillentur leuissimo igne , aqua egressa te-
et fieretur ter aut quater , donec glaciei candorem
imitetur , nam statim dum sentit aërem frigidum
condensatur in glaciem claram , & pellucidam ,
hanc glaciem accipe , in squam fontis clari & pel-
lucidi proifice , donec tota glacies convertatur in
puluerem albissimum , & permisceatur aquæ fon-
tis , & fiant ambo brodium album , seu lac , huic
adhuc adde , magnam quantitatem aquæ fontis , &
id omne fiat in vitro vase magno & amplo , ut
ambo possint agitari , & deinde quiescere possint ,
ut in fundo subsideant feces albissimæ : Deinde per
inclinationem aqua clara & limpida , quaæ super-
natai fecibus , à recipiente tollitur & aufertur , hæc
prima aqua poterit seruari in vasis vitreis ad disso-
tionem corallorum , margaritarum , & similium , &
ad vlcera venerea curanda , & scabiem omnem ,
fecibus verò quaæ supersunt in fundo , super ad-
denda est aqua recentis fontis , & toties cum noua
aqua recenti , lavandæ sunt feces & abluendæ , do-
nec aqua quaæ super imponitur dulcis egrediarur ,
& acrimonia omni priuetur , tunc temporis feces
ille albissimæ ponendæ sunt in crucibulo seu tigil-
lo testaceo , & in leuissimo calore exsiccandæ , &
seruandæ ad usus varios , ad purgandos humores
quoscumque sursum & deorsum : absque ullo
periculo hypercatharsis , dosis huius pulueris est
quindecim grana ad summum in pueris verò gra-
na duo , aut unum sufficiunt .

Purgatio corpore , & sic dogmatice preparato ,
deuenientiam est , ad partem siccitatem tumore cor-
reptam , quam in principio refrigerabis aliquantu-
lum ut calor naturalis , hac repercussione , souen-

tur, occlusis poris, & colle&is suis viribus & ad centrum detrusis, vt ipsem calor operationum omnium author, vel ad resolutionem in sensibilem tendat, vel ad supurationem, quo cognito, sequendus est naturæ motus, si ad resolutionem insensibilem inclinetur continuandus est usus refri- gerantium, & repercutientium uti sunt butyrum saturni; aqua prima vitrioli, quam rotem nonnulli dicunt, vel aqua aluminis: Si verò ad supurationem inclinet, parti applicanda sunt, supurantia medicamenta, qualia sunt oleum ceræ, oleum vitellorum ouorum, balsamum sulphuris, oleum ex lateribus, & galbani, vel ex his omnibus compo- sita balsama, cum spiritu therebentinæ, cui dissoluuta sit camphora, hæc omnia simplicia, vel composita medicamenta, possunt parti flegmone affec- tæ applicari, donec supuretur pars, quod brevissimo tempore fiet, aperto deinde tumore, continua sunt adhuc aliquandiu supurantia dicta, deinde cum extracto Aristologiæ, rotundæ & aqua salis & mellis æqualiter mixtis, ad cicatricem deueniendum est, & callositas, & durities quæ relinquntur post curationem tollendæ sunt hoc solo lito sequenti. *L.* Aquæ rosarum fibi. salis communis vulgarijs culcinati 3ij. mellis 5ij. ex- tracti Aristologiæ 3ij. misce fiat litus, quo souea- tur pars affecta donec dissoluantur, callositates & durities flegmonum.

Quod verò pertinet ad curationem flegmonum malignarum & pestilentialium tractatu de peste dicemus.

*De Carbunculo ex Chymicorum
Doctrina.*

C A P V T I X .

Realgar
quid.

V o n carbunculus aut Autrax dici-
tur apud Galenicos , apud Chymicos
tumoris Realgarini nomine afficitur,
quod tumores Mercuriales malignos
& pestilentes adurentes & causticos , ex Realgaro
Mercurij ortum habere afferant , vocant autem
Realgar , Mercurij excrementum terreum mali-
gnum & acre , & mordax , quod excrementum
seu realgar,in omnibus constituunt elementis Spa-
gyrici Medici , in omnibus quidem elementis,tum
macrocosmi , & microcosmi , imo & in influxu
ipsorum astrorum regalgar constituunt : nam ma-
lignum illud quod tempore pestis,ex astris depen-
det , Realgar astrale dicunt , Realgar autem cu-
iuscumque elementi. præter realgar terræ & aquæ
inuisibile est,& solo conceptu mentis percipitur,
nisi ab effectis terræ vero & aquæ. inuenitur &
palpabile est , & ut istud reperitur in macrocosmo ,
quod est excrementum Mercurij salis & sulphuris
ex quibus metalla fiunt , maligna qualitate & ve-
nenosa præditum,ob imperfectionem & crudita-
tem suam,quodque applicatum partibus humanis
adurit , vesicas excitat , & viral spiritu priuat , sic
pariter voluerunt Spagyrici Medici In microcos-
mo reperiiri. Realgar , quod à facultate expultrice
& separatrice, ex tribus principijs suis electum &

in partes exteriores corporis detrusam , scaram, vesicas , inflammationem , & partium mortem inducens id ipsum pari Realgaris nomine notarunt, tumorēsque corporis humani,in quibus hæc symptomata reperiuntur , tumores ex Realgare dixerunt. Et quatenus Mercurius macrocosmi , seu vitalis humidi substantia, suum Realgar habet : eattenus etiam voluerunt Chymici , viuifici nectaris substantia quæ microcosmum constituit, suum habere Realgur , quòd similia in microcosmo age ret , habent enim ambo , macrocosmus & microcosmus inter se, simile symbolum , nihil in uno potest reperiri, quin & in altero potentia & virtute reperiatur , itaque cum in microcosmo reperiantur Autraces & carbunculi, qui sua maligna qualitate , superiora symptomata excitent , ex Realgare humani corporis ortum habere dixerunt , & similibus verbis, definitionem horum tumorum complexi sunt.

Carbunculus seu Antrax nihil aliud est , quam *Carbunculus* tumor factus ex Realgare Mercurij humani corporis , quòd virtute excreticis facultatis, in partes ignobiles detruditur solutionem continui excitans sua fluxione , cum rubore maximo , liuido , nigro, calore, duricie, seu callositate & dolore, & scarra & vesicca , quæ omnia symptomata comitantur assidue hos tumores Realgar enim illud tumorem excitans , eorruptit partem in quam detruditur , & in alienam naturam conuertit , vnde solutio continui , & reliqua sequuntur symptomata . Antrax & carbunculus ex se non differunt, nisi secundum magis & minus: Antrax enim dicitur, dum scaram nigrā excitat, vnde antrax , quòd

satius carbo dicatur, & scarra nigra seu caro combusta similitudinem carbonis habeat, Autrax græcè dicitur, carbunculus verò dicitur, quod suo rubore & inflammatione ingenti, rutilantis carbonis & prunæ imaginem repræsentet, vel lapidis præiosi, carbunculi dicti, nitorem & splendorem rubni imitetur.

Dolor est maximus in hisce tumoribus, durities, & callositas, quod in Realgare tumores hos constitueret, reperiatur sal, maxime causticum & adurens, quod pungit vellicat & laciniat partem affectam. Durities verò & callositas, ab eodem sale dependent, quod coagulat & constringit partes Mercurij & Sulphuris, quæ vna cum sale in partem affectam fluxerunt, crises seu termini, quo terminantur & finiunt, vel in mortem, vel in salutem, hi tumores, sunt septimus, decimus-quartus, aut vigesimus primus dies, in quibus solent terminari, & suum omne virus exercere, eo communicato cordi per arterias, quæ in partem affectant desinunt, periculum consistit in quantitate Realgaris, nam si copiosum sit adeò ut non possit vinciri & domari, à calore naturali, tunc temporis clamatum est, de salute ægrotantis, si verò minimum sit in quantitate, ita ut facile vincatur, vacat omni periculo: id autem cognoscitur breuitate & tarditate temporis, quo pars affecta symptomatis varijs afficitur, nam si in breuissimo tempore gravissima appareant symptomata, suspicandum est, magnum esse & copiosum Realgar, si verò tardie & lente, symptomata nascantur, minimum arguunt Realgar, & proinde in tuto esse ægrotantis salutem, quod tamen non est negligendum, nam

Si optimis remedijs, intus & extra assumptis, & admotis non curetur affectus, crescit virus ipsius Realgaris, & ex benigno fit malignus & periculo plenus Autrax, quod tamen sequenti methodo Deo dante, evitare possumus.

Si febis adsit ingens, & ægrotantis vires tem-*Cura car-*
potis constitutio, ætas, & reliqua ferant, mittendus *bunculi*.
est sanguis ex parte opposita parti anætraci affectæ,
& illico succurendum est cordi, alexiterijs medi-
camentis, nec ullatenus purgandum ullo medica-
mento quamvis benignissimo, quod virus ad cen-
trum retrahetur. Alexiteria autem quibus opem
afferre valemus, sunt quæ ampliurima apud Chy-
micos, eaque potentissima & efficacissima, inter
quæ sunt momia vitæ, quæ est sanguis florentis &
bene valentis hominis, lento calore exsiccatus
spiritu limonii & acido vitrioli liquore impregna-
tus, & in trochiscos cum pauca myrrha paratus,
dosis huius medicamenti est dragma semis, in aqua
cinnamomi, summo manè ieiuno stomacho.

Est etiam summum alexiterium medicamen-
tum, spiritus salis communis, si auri calciuati ali-
qua portio in eo soluatur, oleum etiam aridum
vitrioli, ter aut quater rectificatum, & à suo phleg-
mate priuatum, tinctura auti impregnatum, sum-
mum est medicamentum, ad cor tuendum contra
vim pestilentis carbunculi: aqua theriacalis, suc-
cus limonum coctus & à suo phlegmate vindica-
tus & in miuam, (ut assolet figi in Cydonijs) re-
dactus, antimonium sudorificum, Mercurius su-
dorificus, aurum tonans, aurum potabile, & auri
tinctura, & corallum & margaritæ solutæ in spi-
ritu salis, summa sunt medicamenta alexiteria,

quibus venenum omne, & pestilentem auram e corpore fugare possumus, & irritam facere, sumuntur in iusculis assuetis, aut in aqua communi potabili, aut syrupis cardiacis, & acidis.

Postquam remedia ad internas partes attuleris, deueniendum statim ad externas, & præcipue ad partem affectam, quæ statim multis scarificatiōnibus paruis vellicanda est, ut citius foras venenum erumpat, deinde oleo Mercurij seu liquore ex antimonio & sublimato æqualiter mixto, profluente, centrum antracis inungendum est, & causticandum, postquam scarra deciderit, emplastro ex magnete arcenicali, pars tota tegenda est, ut virtute illius emplaſtri virus omne foras eliciatur, deinde aqua sclopetaria, seu extracti aristologiae rotundæ, pars ad cicatricem conducenda est, quod breui fieri tempore.

De Bubone.

C A P V T X.

Bubo quid.

BUBO est, ex Chymicorum doctrina tumor apostematosus in emunctorijs partium nobiliū originem habens ex corruptione & alteratione Mercurij humani corporis, qui in hisce partibus per facultatem expultricem demandatur, cum pulsatione, tensione, dolore, vomitu defectu animi & cordis tremore, ex diuersa corruptione istius mercurij, in hisce tumoribus, variam sortiuntur.

bones diuisionem, nam si coniuncta est corruptio
haec, cum peculiari malignitate, malignos consti-
tuit bubones, si vero nulla malignitas & pestilens
qualitas in hac corruptione in sit, non maligni
fiunt bubones, vnde dividuntur in malignos &
benignos, malignitas, seu pestilens aut venenosa
qualitas bubonum, dependet ex peculiari corrup-
tione & alteratione sulphuris & salis, quæ una cum
Mercurio confluunt, ad partem bubone affectam,
ibique corruptione suarum substantiarum, simi-
lem tumorem constituunt, excrementis suis tur-
gentibus, excrementa enim harum substantiarum,
similes tumores faciunt, non enim Mercurius sal
& sulphur, per se, tumores constituunt ullos, at
ratione suorum exrementorum, quæ cum praeter
naturam sint, harum substantiarum Mercurij puta
salis & sulphuris, pugnant, & agunt in has sub-
stantias, & alterant & corrumpunt, & in eamdem
naturam conuertere satagunt, ut moris est omni-
bus agentibus: id autem fieri nequit sine læsione
partium in quibus sit haec pugna, & actio, cum pre-
cipue tota natura & virtus eius, suo calore viuifi-
co, tendat, ad expurgationem horum exremento-
rum, ut amandet ea, ad enuncioria, tamquam ad
partes minus nobiles, & vita minus inservientes
ut ibi calor naturalis ad pepasmum reducat, & eo-
rum venenum extinguat, & domet. Excrementa
Mercurij, non tantum confluunt ad generationem
bubonum: at etiam salis & sulphuris, dicuntur ta-
men bubones, Mercuriales tumores quodd excre-
menta Mercurij, in his prædominantur, ceteris sa-
lis scilicet, & sulphuris exrementis, sal in om-
nibus bubonibus suum colchotar constituit & ac-

cumulat ex quo durities, callositas, & difficultas resolutionis sunt: sulphur verd, salsuginem suam, & nitromenphytim, ex qua inflammatio, rubor ingens, & colores varij omnes ortum habent & multa alia symptomata.

Materiales hæc omnes causæ & efficientes, ex centro Mercurij salis, & sulphuris nostri, originem ducere possunt, sunt enim ex se capaces & sufficietes, hæc omnia excitare, absque præsidio & auxilio causarum externarum. In bubonibus tam en malignis & pestilentibus, semper, hæc causæ internæ ab externis coadiuantur. Cœlum enim & astra spiritualiter influunt, in hæc inferiora, spiritus mercuriales, quæ cum nequeant esse, sine excrementis, pariter ac Mercurius vitæ noster, ex quo viuimus, hinc sit, ut suis excrementis, excrementum Mercurij humani augeatur & crescat, vnde inevitabilis est morborum ortus, cum & id quod nobis vitam quotidiam, & cibum imperiat nobis etiam mortem tribuat, ita ut vna & easdem offa, vita & mors deglutiantur.

Aër etiam in quo viuimus & ex quo vitalem auram inspiramus, multis terræ exhalationibus, & vaporibus atris, vna cum influentijs cœlestibus, inficitur & contuminatur, quibus præcipue conspureatur, vitalis nostra substantia, & hinc varij oriuntur morbi, secundum variam & peculiarem corruptionem, in ea substantia existentem, præsertim bubones, & omnes alij maligni seu pestilentes tumores. Quin imò & venerei bubones ab aëre excitantur, & astris, ut videre est apud iudos meridionales, vbi magna gaiaci copia crescit, ibi enim særissime morbus venereus sic epidem-

cus & generalis, ita ut hic morbus non ab hominum venereis actibus, seu pollutionibus deditorum proluvie, & spurcitia ortum habeat, sed etiam ab aere & astris, quae peculiarem infectionem & contuminationem Mercurio vitali nostro infundunt.

Curatur bubo cuiuscumque sit generis, missione sanguinis, ex parte opposita parti bubone affectus.

&c. Deinde vero si pestilens non sit bubo, at benignior, sit aut venereus, medicamento aliquo benigno Spagyrico, eoque cathartico ad purgationem deuenire possumus: dati poterit vncia semice syrupi rosati laxatiui in dragma vnicam, aut duabus tremoris tartari, si vero pestilens sit & malignus abstinentendum est, ab omni purgatione, ne retrahatur veneum a circumferentia, ad centrum, at illico deueniendum ad sudorifica & alexiteria medicamenta, ut his cor foueat, & defendatur a veneno interiori, poterunt autem omnia ad usum reuocari, quae superiori capite de carbunculo enarrata fuerunt; tum topica omnia, nisi quod in bubre suppurandum est, & materia coquenda est & digerenda, ut ad supurationem laudabilem deueniat, praesertim in bubonibus venereis & benignis, in pestilentibus vero, suppurandum quidem est, at non expectanda est absoluta & perfecta suppuratio, sed statim ad aperturam caustico actuali deueniendum est, propter venenatam qualitatem qua in ibi later ne intro recurrat, cui seopo poterunt esse in usu encubitus sacrificatae, circa partem affectam, & per totum corpus, ut attrahatur venenum, seu maligna qualitas, qua in centro corporis latitat, & quietescit.

De Gangrena, & Sphacelo.

C A P V T XI.

*Gangrena
quid.*

A N G R E N A , Sphacelus, estiomenos & syderatio Galenicorum, sunt eiusdem especiei, ac ea omnia quæ apud Chymicos dicuntur vitæ priuationes extinctiones spirituum vitalium, corruptiones substantiæ vitalis, mortificationes partium, & ultimo calcinationes salis balsami naturalis, Galenistæ asserunt hos morbos succedere & sequi inflamationes partium tumoribus malignis, aut vulneribus correptarum Chymici verò Medici, Galenicis haec in parte, non refrangantur, & causam incognitam Galenicis indicant, asserendo, gangrenas sphacelos, & eiusmodi alias similes morbos, qui partes vitali spiritu & nectare priuant, dependere à calcinatione salis balsami naturalis, quòd violentia, sui sulphuris inflammati acquirit acrimoniam maximam, & virtutem adurentem, & causticantem, qua partes vitali necare denudantur & ut mortuæ separantur à viuis.

Itaque definiunt Chymici, gangrenas & syderationes Galenicorum, calcinationes salis balsami naturalis, ad talem usque acrimoniam, ut aduret & corrodat sua acrimonia, reliquas omnes partes quas antea, suo naturali esse fouebat, conseruabat, & in vitam custodiebat.

Causæ antecedentes internæ gangrenarum , ex definitione ipsa possumus colligere, nihil enim sal, excalfacere potest balsami naturalis , præter quām febres omnes & inflamationes omnes vniuersales & particulates, quæ virtute sulphuris inflammatis salem sublimant & separant , & amandant in partem aliquam, quod sal, sic separatum calore & sulphure ipsiusmet partis, in quam amandatum est; calcinatur iterum magis ac magis, & incineratur, donec virtutem acquirat adurendi, & causticandi, priuationem sui Mercurij naturalis, qui suo dulci humore ob eius acrimoniam temperabat, & sic partes adurit & vessicat , & tandem vita priuat. Sic sal istud in partem amandatum, & ibi calcinatum est causa coniuncta & immediata gangrenarum, sal vero quod est in balsamo vitæ, antequām separetur ab eo balsamo , est causa antecedens & mediata horum affectuum. Sunt & aliæ causæ antecedentes externæ gangrenarum, quæ disponunt salem ad separationem & calcinationem eiusdem, veluti sunt astra quædam, quæ peculiari suo influxu, calcinant & desiccant salem, balsami naturalis, vnde à latinis syderationes dictæ sunt gangrenæ, quod ab astris & syderibus originem habeant, fulgura etiam & tonitrua aliquando gangrenas sapientissimè constituunt, suo nitroso spiritu , qui salem vitæ destruit & desiccat , magnum quoque frigus etiam gangrenas constituit , hac simili ratione, natura cum tendat semper ad conseruationem sui ipsius. & frigore magno , aliqua illius pars tentetur & affligatur , in eam ipsam partem natura calorem maximum immittit, tamquam frigeris hostem potentissimum , illo autem calore, sal ipsius partis

frigore affectæ, desiccatur & ad calcinationem reducitur. Experientia ipsa comprobantur hæ omnes rationes, nam videmus quotidie, salis quam plurima genera reperi, qui dum calcinata sunt & humore omni priuata, adurunt partes & causticant quibus applicantur, dum vero adhuc soluta sunt & in humore permixta talem non habent adurendi potentiam, vt in causticis potentialibus cernere licet, quæ sunt ex sale fabarū, fucus, & tartaro calcinato & salepetra, sunt tamen quamplurima salium genera, quæ et si calcinentur desiccantur, & humore priuentur omni, nullam tamen adurendi facultatem habent, nec ullam potentiam gangrenas faciendi. Vnde sal in quibusdam hominibus adeò dulce est, vt quamvis desiccatum, nullas gangrenas, imò nullas scabies excitare potest: vt cernere licet in quibusdam hecticorum & tabidorum corporibus, in quibus nulla scabies, aut vlcus reperitur, nisi sola ariditas & totius corporis marcor & siccitas, propter salis balsami naturalis desiccationem & calcinationem. Sunt vero multi qui semper scabiosi sunt, malignis herpetibus scatent & alijs abundant cutis exulcerationibus, hi omnes sale acri & mordaci abundant, quod si tumore aliquo & ingenti inflammatione tententur, aut vlcere aliquo, aut vulnere, periculum est, ne in gangrenam incident, propter salem hunc acrem & mordacem, quo turget eorum balsamum naturale, quod leuissima sui sulphuris inflammatione, salem illum calcinat & mordaciorem reddit, adeò vt adurendi & causticandi potentiam habeat; Alij vero homines qui numquam scabiosi, nec ullis cutis vlcusculis scatent, numquam etiam

gangrena affligi possunt nisi causa aliqua externa violentissima coadiuuante.

Cura horum affectuum, consistit in extinguen-
do ignis salis calcinati balsami naturalis, ignis au-
tem eiusmodi potest extingui medicamentis Chy-
micas & assumptis & admotis, quæ sunt interius
assumenda, ut causas antecedentes tollamus istius
desiccationis, & calcinationis ut sunt iulapia Chy-
mica refrigerantia & hæmetantia, quæ multum
prosunt huic rei facienda, veluti sunt sequentia.
¶. Aquæ rosaceæ, plantaginis & nenupharis &
acetosæ, an ibi. Syrupi violati syrupi nenupharis &
de granatis acidis an. 3ij. aceti sulphuris per com-
ponam facti & olei vitrioli an. 3j. spiritus salis
communis rectificati. 3ij. misce fiat Iulep clarum,
sumat sero & mane ad quantitatem. 3vj. longo
tempore à pastu, iuscula quibus vtitur æger alte-
randa sunt, lactuca & acetosa, & succo acido li-
monū, aut granatorum, vel spiritu salis, tota enim
cura consistit in efficacia & virtute istius spiritus,
nam eo liquore sal calcinatum & desiccatum redu-
citur ad suum naturale temperamentum, quod
vnuſquisque experientia cernere potest, nam sal
quodcumque acre & mordax, si in spiritu salis re-
ctificato soluatur, ad miram dulcedinem reduci-
tur, imo spiritus iste salis optimè præparatus, ex-
ternis applicatis gangrenis & ulceribus absque do-
lore narcoticum summum remedium est. Possunt
& exterius applicari remedia ignea, qualia sunt
caustica potentialia, oleum Mercurii, aqua fortis
& stigialis, ut horum medicamentorum igne po-
tentiali, extinguitur ignis potentialis salis gangre-
na, eo qniam extincto, extinguitur & gangrena

nisi aliud sal caustieans & adurens succedat à causa antecedente, postquam gangrena extincta est, ad cicatricem vlcus facillimè deducitur, oleo mirrhæ, vel oleo ex vitellis ouorum, vel balsamo sulphuris sequenti. \mathcal{L} florum sulphuris. 3*iii.* olei violati. Ibi. bulliant simul in vase testaceo agitando bacculo, donec coloretur oleum violatum in rubicundissimum colorem, tunc auferendum est ab igne & addentur olei ex vitellis ouorum. 3*iii.* & reponendum ad usum.

De Erysipelate & eius speciebus.

C A P V T X I I .

Erysipelas
quid.



V O D Galenistæ Erysipelatem dicunt, tumorem biliosum, ex subtilissima bilis parte, ad cutem amandata, tamquam ad vniuersale partium omnium emunctorium id idem ipsum dicunt Medici Chymici, tumorem sulphureum quem ita definiunt florem sulphuris balsami naturalis, ad cutem amandatum, inflammationem & dolorem causantem, huic sæpiissimè flori, permiscetur flos balsami naturalis, differentias omnes & species Erysipelatis constituens, nam erysipelata sæpiissimè coniuncta, sunt cum corresione aliqua cutanea, & vlcusculis, quæ non possunt dependere, & originem trahere à solo sulphuris balsami naturalis flore: at trahunt originem à flore salis balsami naturalis, qui vnâ cum flore sulphuris, ad cutem sublimatur, ibique parit omnes differentias erysipelatum

tam: nam quod Medici vulgares miliarem erysipelatem asserunt, id ipsum Medici Spagyrici, ex tenuissima sulphuris parte & flore salis, originem trahere dicunt: tenuissima portio salis, quæ ad cutem, vna cum flore sulphuris sublimatur, constituit vlcuscula illa, milij granis simillima. Sic omnia erysipelatum genera quæ composita sunt, quæ vna cum inflammatione, & dolore vlcera pariunt, dependent à sale balsami naturalis, qui secundum variam sui ipsius acrimoniam & mordacitatem varia in cute generat vlcuscula superficiaria, vel profunda, varias producit erysipelatum differentias, siue sint hydroz, Ephælides, phlyctenes, & epinyctides, & similes aliae, quas Galenistæ fecerunt ob variam cutis excoriationem, quas itidem, Medici Spagyrici, ad variam & diuersam salis balsami naturalis, acrimoniam & mordacitatem retulerunt.

Causæ Erysipelatum omnium, vel externe, vel internæ sunt. Internæ, vel sunt antecedentes & coniunctæ, antecedentes sunt (si erysipelata simplicia sint) tenuissima sulphuris balsami naturalis portio, quæ levissimo calore ad cutem sublimatur ibique inflammations illas patit, si vero composita sint, & vna cum inflammatione coniunctæ sint vlcuscula quedam & cutis excoriationes, tunc temporis, flos salis balsami naturalis. vna cum flore sulphuris connectitur, & sunt causæ antecedentes internæ, erysipelatum compositorum: coniunctæ vero causæ horum affectuum, sunt hidem flores salis & sulphuris, si composita sint erysipe-lata, si simplicia, sunt flores sulphuris tantum, hæ causæ coniunctæ dicuntur seu immediatae, dum

flores, hi ad partem tumore affectam incuneantur, & à balsamo naturali ad cutem particularem partem detruduntur, facultate expultrice dum turgent & abundant in eo balsamo naturali.

Cause vero eorumdem affectuum externarum, sunt omnes res, quæ excalfacere possunt balsamum naturale in eoque producere possunt, copiam sulphuris & salis, quales sunt, vini potio copiosa, frequens & iterata, motus violenti, tum animi, tum corporis, ut ira, & excandescientia frequens deambulatio ad solem fortem, balneum calidum, & ciborum acrimum & mordacium frequens usus ut allij, cepæ, & similiū, hæc omnes res possunt excalfacere præter naturam balsamum naturale, in eoque producere copiam sulphuris & salis, quæ deinde cum turgent in eodem balsamo, calore ipsius balsami ad cutem sublimantur ibique incuneantur, & pariunt diuersa erysipelatum genera secundum variam salis & sulphuris sublimationem, ut ante dictum est.

Cura Erysipelatum.

Cura omnium erysipelatum simplicium, vel compositorū dependet à sequenti methodo, laxata alio, clystere emolliente & refrigerante, mitendus est sanguis ex parte, opposita parti affectæ, & seruanda quantitas, ætati regione & viribus ægri proportionata, misso sanguine, prescribendus viuendi usus refrigerans & humectans, ut temperetur calor excedens balsami naturalis, itaque iuscula omnia quibus uititur a ger, temperata erunt & alterata succo pomorum acrimum, aceto, succo limonum, granatorum, acetosa, endiuia, & lactuca, interdicetur a ger interim omni vinisu, phthisana utetur alterata aqua, lactucæ, acetosæ, &

posca veterum, vel aceto sulphuris per companam facto, vel oleo vitrioli acido, quæ omnia possunt calorem præter naturam balsami naturalis, temperare, & acrimoniam salis extinguere. Instituto victus regimine, ad topica deueniendum est, butyrum saturni sufficiet ad curam absoluendam erysipelatis simplicis, frigide externis applicatum, fit autem butyrum saturni sequenti modo. 24. Acetum distillatum in quo bullierit, frustulum litargirij aut minij, per horæ quadrantem agitando cum bacculo, postquam acetum deposuerit fecem & hypostasim suam, & clarum erit, & limpidum. 25. huius aceti parum in paropside terrea aut alia, & cum oleo violaceo cum digitis simul agita, & incorpora donec in butyri albissimi consistentiam conuertatur, adde saepe aliiquid eiusdem aceti, sale litargirij, aut minij impregnati & aliiquid olei violacei semper agitando, donec sufficientem habeas butyri quantitatem, quod butyrum reseruabis ad curam erysipelatum simplicium, si vero composita sint eodem etiam butyro, ut poteris, sed ut curam absolvias, & vlcuscula cures, oportet, ut aceto litargirij sale impregnato, laues vlcuscula, antequam butyro saturni vtaris, vel etiam curantur haec vlcera lacte saturni, quod fit hoc, & eodem aceto, cum oleo tartari simul mixtis & in vitro vase agitatis donec in lac candidissimum conuertantur, hoc solo lito utere.

De Oedemate & eius speciebus.

C A P V T . X I I I .

Oedema
quid.



Edemata Galenicorum , sunt apud Spagyricos tumores præter naturam ex Mercurij excrementis ortum habentes , Mercurius enim apud Chymicos , ut anteà dictum est , lato sumpto vocabulo , est qualiscumque liquor & humor in corpore existens , vnde phlegma Galenicorum cum liquor sit , seu humor , Mercurij nomine indicari potest , & tumores ex phlegmate & pituita ortum ducentes , tumores Mercuriales dici possunt , & quemadmodum pituita Galenicorum , cæteris humoribus permiscetur , & composita & permixta œdemata constituit , sic & Mercurius Chymicorum cæteris constitutiis substantijs permiscetur , & permixtis constituit Mercuriales tumores , nam aliquando coniunctus reperitur Mercurius cum sulphure , & constituit Mercuriales & sulphureos tumores , quæ dicuntur à Galeniceœ œdemata erysipelatodea , aliquando & cum tartaro connectitur Mercurius , & constituit tumores tartareos Mercuriales , qui dicuntur à Galeniceœ œdemata scyrrhosa , aliquando & coniungitur cum Mercurio vitæ , & constituit tumores à Galeniceœ nuncupatos , œdemata phlegmonosa , sic quatuor sunt species , œdematum compositorum ex compositione quadruplici humorum in corpore stagnantium , simplicia tamen aliquando repe-

riantur cœdemata in corpore humano ut & composita: composita tamen frequentiora sunt, quam simplicia, quia semper Mercurius humanus siue excrementitius, siue alimentitius, cœnexas habet alias secum substantias, secum permixtas, quæ vna cum mercurio prædominium habent in constitutione cœdematum, secundum quod prædominium in his cœdematibus, dant nomen ipsis tumoribus. Simplex cœdema potest definiri ex Chymicorum doctrina: tumor mercurialis ex congestione & fluxione Mercurij aquosi siue excrementij in partem aliquam corporis humani, in quam amandatur ex balsamo naturali vitali, tamquam quid inutile vita, ibi constituens, humorem indolentem, laxum, & mollem, absque inflammatione. Est indolens cœdema si priuetur sale, nam sal in tumoribus dolorem constituit, inflammationem vero sulphur, unde cœdemata simplicia seu tumores Mercuriales simplices, indolentes sunt quod sale priuentur acri & mordaci, à quo dolor ortum habet, tum in tumoribus, tum in ulceribus, vt videbimus in eorum tractatu, hi tumores simplices mercuriales ad suppurationem non deueniunt, quod humor mercurialis excrementitius hos tumores faciens priuetur, spiritibus vita, aut sulphuris, à quibus pepasmus & coctio, seu suppuratione in tumoribus dependet, at resoluuntur per insensibilem transpirationem per poros cutis, calidis medicamentis appositis, quæ suo innato calore & proprijs spiritibus sulphureis, coquunt & ad pepasmum deducant crudam, & incoctam Mercurij aquosi substantiam, aut insensibiliter resoluunt quod frequentius operatur quam aliud.

Cura œde-
mata.

Cura horum omnium affectuum, tam simpli-
cium quam compositorum consistit in regimine
victus, & in appositione medicamentorum subti-
lium & calidissimorum, ut causa materialis œde-
matum frigida, cruda & incocta, tollatur & eu-
nescat, aut saltem, ad pepasmum reducatur.
Victus ergo calidus & subtilis erit, vino albo sub-
tili & optimo vtetur, & iusculis aqua cinnamoni
alteratis, & pane anisato, & carne euchyma, ca-
ryophyllis condita, medicamenta autem quæ in-
teriorius assumi debent, erunt cathartica & purgan-
tia medicamenta, qualia sunt antimonium præci-
patum quod ita fit. 2. Antimonij & mercurij
sublimati, an æquales partes reducantur in al-
chool, & imponentur retortæ vitreæ ad distilan-
dum leuissimo calore: gumma seu liquor, crassus,
egressus rectificetur ter aut quater. Deinde per-
misceatur aqua communi clara & munda, puluis
qui præcipitur in fundo albissimus, lotionibus
multis aquæ communis edulcoretur, donec nul-
lam habeat acrimoniam, sed dulcis penitus & insi-
pidus sit, hic puluis erit catholicum chymicum
summum, quo vti poteris ad purgationē omnium
morborum, supra & infra purgat absque vlla lœ-
sione, dosis eius est quindecim grana, in vino opti-
mo aut iuscule; Puluis hic albus si permisceatur
æquali quantitati salispertræ, in tigilloque forti
ambo comburentur, ter aut quater iterata combu-
stione simili, postquam loione aquæ communis
salispertra sublata fuerit, & iterum edulcoratus
pulu s, tunc temporis non est purgans vlo pacto
medicamentum, sed sudorificum medicamentum,
cuius dragma vnica in aqua cardui benedicti af-

sumpta, copiosos elicis sudores, quo etiam uti poteris ad curationem horum cœdematum, post purgationem, itaque ex uno & eodem medicamento, absolutam habebis curationem istius affectus. Quod vero attinet ad medicamenta, parti apponenda, ut per insensibilem transpirationem resoluatur tumor vel ad suppurationem raducatur, multa poterunt in usum reduci, qualia sunt spiritus vini ab omni phlegmate denudatus, vel oleum tartari, vel essentia rorismarini, vel essentia saluæ & stœcados, vel oleum philosophorum quod & laterinum dicunt, vel petroleum. Quod si petroleum aut essentia aliqua alia supradicta, lateres imbibantur coctiles, & contusi in retorta vitrea positi distillentur, secundum artem prodibit oleum, oleo philosophorum communi & vulgari longe efficacius, ad curationem istius cœdematosi affectus. Poterit etiam regio hepatis intungi oleo cinnamomi, aut caryphillorum, aut essentia carabes seu succini, quæ essentia potentissima est ad roborandum hepar, ut non serosum producat mercurium & aquosum, sed vt spiritibus vita abundet, potens etiam hæc essentia est ad cerebri facultates omnes reborandas, vnde sistit omnes catharticas defluxiones, quæ sunt fontes & origines cœdematum omnium, vnde eius usus frequens utilissimus erit ad causas horum affectuum antecedentes tollendas, ut euanescent tandem. Ad hoc peculiare cœdematum caput, posset referri tractatus de scrofulis, cum haec cœdemata sint: Sed ad tractatum seu sectionem de ulceribus, hunc tractatum remitteremus.

De Scyrrho secundum chymicorum doctrinam.

*Scyrrhus
apud Gale-
nicos quid.*



C Y R R H U S qui & apud Galenicos Medicos dicitur tumor præter naturam ex melancholico humore natus frigidus & terrestris valde, quem naturalis calor, virtute & facultate excretrice, ad cutem pellit, & amandat ibique in lapidem aut lapideam substantiam musciliaginosam conuertit & permittat, vnde indolentes duri & suppurationis incapaces sunt hi tumores, quod sua virtute & lapidea materia comprimat arterias & venas partis tumore simili affectas, adeo ut impediatur commercium & aditus vitalium & naturalium spirituum, qui sunt suppurationis & pepalmi vera causa efficiens, calor enim innatus horum spirituum massas illas & tartareas materias emollit nisi omnino extingatur.

Est autem tartarus apud chimicos excrementum feculentum, seu magma cuiuscumque humoris vita in seruentis, quod excrementum priuatur omni fere vitali spiritu, vnde tumores sunt omnes indolentes & duri, & cibatu difficillimi quia materia est difficilis resolutionis & pepalsti incapax, ob rationem dictam. Hi ergo tumores præter naturam à tartaro seu magnate balsami naturalis ortum habentes, quod suo sale coagulentur in lapideam quasi substantiam; partem efficiant inde efficiunt duram frigidam & absque villa

inflammatione & sensibili dolore : hæc descriptio
suo ambitu complectitur veros & legitimos scyr-
thos, qui dependent à tartaro chymicorum, quod
comparari potest pituitæ frigidæ Galenicorum,
quæ cum sit ex sententia eorum excrementum
frigidum massa sanguinea. Sic & tartarus est ex-
crementum balsami naturalis, quo viuimus nutri-
mūr & sustentamur. Quia tamen balsamum istud
naturale compositum est ex tribus substantijs, sale
scilicet sulphure & mercurio, tria etiam erunt
excrements diuersa quæ nomine tartari possunt
efferri, vnde tartarus erit mercurij, salis & sul-
phuris, que tartara differentiam constituent inter
hos tumores, duros & scyrrhosos. Nam sæpiissime *Scyrrhus*
tartarei hi tumores sunt verè simplices, hoc est ex erysipelato-
solo tartaro simplici compositi : ut sæpe tartarus des.
Salis permisceatur tartaro mercurij & sulphuris, &
sic constituunt tumores dicti à Galenicis scyrrhi
erysipelatodes, & hi absolute non sunt indolen-
tes, quia propter salis potionem, quam obti-
nent, corrosionem quamdam habent, & ulcerationem
internam carnis, partis affectæ : vnde à
solutione continui, dolor quidam oritur, in hisce
tumoribus : & nonnulla etiam inflammatio
propter sulphuris portionem, à quo fit inflamma-
tio, & leuis quædam suppuratio, non tamen ver-
ea & laudata, quia, quod suppuratur, in hisce tu-
moribus, crudum & incoctum est, & aquosum,
quod calor naturalis sulphuris inflammati expri-
mit & separat. ex tartaro mercurij inutilis balsa-
mo vitæ : ex partibus quidem mercurij non adhuc
coagulati, ab spiritu salis, qui semper in scyrrho-
sis tumoribus reperitur, & duritatem & firmitatem,

horum tumorum cansans. Si vero sal istud seu tartarus dominium habeat in hisce tumoribus, cæteris humoribus tartareis, ex ista combinatione, fiunt cancri occulti Galenicorum maligni, & curatu omnino difficiles, iquam difficultatem noscens Hippocrates, in Aphorismis annotauit, hos non esse, curatione agrediendos, quia citius inquit pereunt curati, quam intacti. Ratio in promptius est huius rei apud Chymicos, quod in hisce tartareis tumoribus, & cancrosis, magna copia salis, acri & mordaci latitet, qui acrior & mordacior redditur medicamentorum curantium appositione, hæc enim medicamenta, cum calida sint, acriorem & mordaciorem, suo calore reddunt saltem: unde eo modo efferatur, magis ac magis morbus, usque ad interitum.

*Habes hæc
medicamen-
ta descripta
sine fraude,
in 3. lib.
myrothesij
mei suis pe-
culiaribus
capitibus.*

Non tamen incurabiles sunt, quod sal istud adurens & causticans edulcoretur, & eius ignis extinguatur, medicamento aliquo, ad hoc idoneo, veluti erit liquor Mercurialis dulcis, vel oleum lumen dulce, vel auri Chymici: his enim certissimum est, curari posse crudelē hunc morbum, unde si Hippocrates horum medicamentorum notitiam habuisset, absolutum & generalem non fecisset de canceris occultis aphorismum, & omnes suos de morbis incurabilibus mutasset aphorismos: sunt enim hæc medicamenta morborum omnium verum, & unicum remedium, existimo etiam posse curari oleo salis dulci rectificato, in cuius applicatione sola, extinguitur ignis salis calcinati, & dissoluitur eius durities, & coagulatio. Ex his paucissimis verbis posset Chymicus Philosophus, integrum & absolutam habere tumorum scyrrhosco-

rum curam: at eam, in gratiam filiorum artis, amplioribus lineis, expandamus.

Cura ergo integra & absoluta tumorum scyrrhorum omnium, sequenti fiet methodo; purgabitur imprimis ægrotus, puluere antimonij, supra descripti ter aut quater, diuersis in diebus servato regimine, & custodia: Deinde per octo dies, sudabit in lecto coopertus, omni arte adhibita, assumpto puluere, eiusdem antimonij sudorifici, supra etiam descripti bezoar minerale dicti, & assumet ad quantitatem, dragma vnius, cum vincia vna, aquæ cardui benedicti, & inter sudandum assumet coclearia nonnulla spiritus vni, tartari sati, ut copiosius & abundantius sudet, tartareolaque materia vniuersi corporis dissoluatur, & in tenues dissipetur partes, & fricabitur scyrrhus & pars affecta, oleo laterino, vel oleo salis, interim præscribetur, victus regimen calidum & humidum & euchymum, cum moderata corporis exercitatione, vt incalescat corpus, & resocilletur naturalis calor, vt dissoluat per insensibilem, transpirationem humores illos crudos, & serofos. Balnea etiam thermalia, & lutum quod in his aliquando sulphureum & nitrosum reperitur, post purgationes varias prædictas, multum conferunt ad curam absoluendam, propter salem solutum mineralium quem secum coercent, qui multum confert, ad causas ancedentes & cointactas tollendas. Quantum ad topica attinet medicamenta, sequens vnguentum præstantissimum est. *¶* Salis armoniaci ter, aut quater, à sale communi decrepitate & calcinato, sublimati, vnciam vnam, floris salis vrinæ humanæ, vnciam semis, aquæ vite tar-

Cura scyrrh.

tarisatæ, vñciām vnam misce, & agitando in phiala vitrea conuerte in butyri consistentiam, de quo uti poteris ad curationem scyrthosorum, tumorum, vngendo partem affectam, ter aut quater, in die, superimponendo emplastrum gummi ammoniaci, aqua vitae dissoluti.

Spiritus omnium lapidum, & ossium humano-
rum, qui extrahitur ex eorum sale, fortissima di-
stillatione, ut artis est, mirandum præbet specta-
culum in curationibus, horum tumorum, & præ-
cipue in curatione cancti occulti, nam absque do-
lore, & cutis apertione insensibiliter dissoluit &
disperdit, lapides & nodosas illas substantias, &
omnis salis ignis extinguit ardorem; At aurum
Chymicum dissolutum omnibus præstat intrinsecus
assumptum & extrinsecus applicatum, Reno-
uat enim totum corpus, & ad æquale reducit tem-
peramentum: quicquid dicant hi, qui illud irri-
dent.

CONCLVSIONI SECTIONIS

P R I M A.

TUMORVM infinitus est fe-
re numerus, qui corpus huma-
num infestant, quorum nulla
fimentio, in supradicta sectione, quod om-
nes qualescumque sint, referri queant, ad

tumores antea curacos & descriptos, quales esse possunt, verrucarum omnia genera, quæ ad tartareos tumores referuntur, & simili methodo curentrur, nec pariter loquitus sum, de igne volatili, maculis, lentigimibis, natis, & similibus alijs, quæ possunt referri ad ædematum, aut erysipelatorum genus, & in eorum cura, obseruanda est similis, & eadem methodus, ut ægrotis satisfacere valeamus. Itaque transcendum est ad sectionem secundam huius operis, in qua vulnerum dabitur tractatio.

CAPUT



SECTIO II.

DE VVLNERIBVS.

*QVID SIT UVLNUS,
qua sunt eius causa, & diffe-
rentia.*

CAPVT I.



V L N E R V M tractatus , se-
cundum Chymicorum doctri-
nam , differt aliqua ratione , à
tractatu eorumdem vulne-
rum , secundum Galenicorum
doctrinam : possunt tamen
ambo conciliari , leuissima ver-
borum explicatione , nam quod Medici Galenici ,
solutionem continui à causa externa violenta , in
parte molli , cum effusione sanguinis dicitat , id-
que vulnus simplex vocant , id ipsum Medici Spa-
gyrici , diuulsionem seu separationem partium vni-
tarum per balsamum naturale , cum effusione eius-

*Vulnus
quid.*

dem balsami, à causa violenta externa appellant. Quod solutionem continui cum effusione sanguinis dicunt Galenici, quadrare videtur & conuenire cum diuulsione & separatione partium vnitarum per balsamum naturale, cum effusione eiusdem balsami, est tamen aliqua differentia in eo quod balsamum naturale, plus dicat quam sanguis, & ea ratione, definitio Chymicorum plus indicat & ostendit, quid necessarium sit in curatione vulnerum, quam ostendat definitio Galenicorum, nam ostendit balsami naturalis conseruationem debere fieri, si vniōnem eius spectemus, quæ est cura totius continui solutionis, nam natura antequam vniat partes diuulsas & separatas, oportet ut habeat copiam balsami, integri & illæsi, ex vtraque parte, ut partes se inuicem tangentes & se deosculantes, vniire se valcent, nam si putrefacat & corruptum sit aliqua ratione balsamum naturale, nunquam coalescet vulnus, quin prius euaneat illa corruptio, & separetur. Vnde supurationem euitandam esse, in vulneribus curandis omni studio indicat, hæc Chymicorum definitio; Quam supurationem euitabis per applicationem balsami alicuius externi, quod potentiam habeat & facultatem, arcendi & impediendi corruptionem omnem.

Causæ vulnerum communium externæ sunt, Causæ vulneris aliquando pars interior aliqua rumpatur & nerum. vulneretur, quod motu aliquo violento, & praeter naturam, exterius facto, id oriatur, causa semper externa est, et si effectus internus sit, fluxione etiam aliquando interna possunt fieri vulnera.

Differentiæ vulnerum desumuntur ex varijs vulnerum.

causis, aliquando enim ex partibus, quas afficiuntur
nam si neruos afficiant, neruosa vulnera, & pun-
ctiones, si carnes carnosa vulnera, & contusiones.
Si ossa, ossa vulnera & fractiones dicuntur. Ali-
quando autem desumuntur eorum differentiae, ex
figura, vnde dicuntur profunda vulnera, lata ro-
tunda & magna, aliquando vero habent differen-
tiā ex rebus à quibus dependent ut sunt morsus
diuersorum animalium, & scorpionum iactus de
quibus omnibus in capitulis particularibus Deo-
dante dicemus.

*De prognostico vulnerum & eorum curis
in genere.*

C A P V T II.

Inerum
ulam
de-
cata.

VERVM veroque verius est, ex com-
munium medicorum doctrina, vulnera
(& morbi alij omnes) periculosiora
esse, quo nobiliores occupat partes cor-
poris humani, vitæ inseruientes, his omnibus
vulneribus, quæ ignobiles occupant partes, nam
vulnus braechij, manus, pedis, carnis, & simili-
um partium, non adeò periculosum est, ac vul-
nus capitis, cordis, hepatis, ventriculi, intestino-
rum & similiūm partium vitæ inseruentium, nam
cum vita in hisce partibus fundamentum radicale
habeat, & haec partes sint fontes vitæ, à quibus di-
manat & communicatur vita, cæteris partibus
non potest fieri, quin vita læsa in ipso fonte, per-
eat in partibus, quibus communicatur. Itaque
non

nō caput lēsum est , & vulnere aliquo effectum ,
si profundum sit vulnus , aut meninges lēdantur
aut substantia ipsius cerebri , grauissima sint sym-
ptomata , verbum amissum , conuulsiones , vomi-
tus & stridor dentium adsit , sanguis effluat per
nares aut aures , tunc temporis conelatum est
de salute ipsius vulnerati & stultus omnino esset
Chirurgus ; qui medicamentis Chymicis hunc
vulneratum curare vellet . Sic de reliquis parti-
bus nobilibus aut vitæ inferuentibus ; prognostic-
cum faciendum est , cum magno vulnere & pro-
fundo tentantur , vt si ventriculus ulceretur , &
statim sequatur vomitus , singultus , conulsio , dolor
magnus , ventriculi , tunc temporis Chyrurgus
certissimam mortem prædicere debet , & mente ca-
teret omni , si diceret bene est , hoc vulnus , ego
curabo illud , intra paucos dies , balsama mea hæc
efficient , & reliqua verba vanitatis plena , quibus
solent vti circumforanei isti chymiculi , ardeliones ,
qui modo balsamum aliquod habeant , regna per-
currunt omnia , & omnibus morbis vnicō medi-
camento succurrunt & deludunt omnes & Chymicæ
arti sunt dedecori , & veti latrones , & pu-
blici sycophantæ sunt , nec pœnas dant villas , nec
iustitia huic publico malo , dat remedium .
Mittamus autem hos circumforaneos Chymicos ,
vt redeamus ad nostram Chirurgiam .

Si quæ pars ergo nobilis & vitæ inferuiens vul-
nere lēssa magno , mors prædicanda est , &
remedia quædam ad solatium parentum & grotan-
tis adhibenda sunt . Si verò partes aliae ignobiles ,
lēdantur , si magnū non sit vulnus , & profundum ,
& valeant vires vulnerati & suadeat regio , atq[ue]

constitutio temporis, & mos regionis, mittendus est sanguis ex parte opposita parti vulneratae, ut fiat reuulsio, balsami naturalis tendentis ad partem vulneratam ut succurrat ei. At nimia quantitas nocet potius, quam profit, quia eius quantitas & nimia copia opilationem parit & prohibet eue-tilitationem natiui caloris, unde corruptio oritur, & ut huic succurramus malo, sanguinem mittimus ad reuulsionem faciendam & retinendum istius balsami concursum; missa sanguine aqua frigida eluendum est vulnus, & detergendum ab omni sanguinis grumo. Deinde balsamo sequenti aglu-tinandum est vulnus, aut si sanguis effluat magna quantitate, compescendum est croco martis su-perimposito, antequam balsamum sequens applicetur. 2. Decocti Aristologiae rotundae in vino albo tenui facti. ibj. Olei communis & rubei hy-periconis. ibj. Therebentinæ venetæ. ibs. Succi consolidæ maioris ex eius radice extracti. ibv. misceantur omnia in testaceo vase & bulliant simul ad consumptionem decocti Aristologiae & succi consolidæ maioris, & redeant omnia ad consistentiam balsami, de quo vulnera perun-gendo mirabiliter ad cicatricem perduces breuissimo tempore. Si vero vulnera sint composita & magna, auferendū imprimis est, ante applicationē istius balsami, quicquid est heterogeneum vulneri, ut ossa, fracta, carnes contusa, fragmenta vestitium tela, pilæ plumbeæ & similia, quæ in capitulis particularibus subsequentibus Deo dante videbimus, & de his copiosior erit sermo.

De Vulnere simplici.

C A P V T III.

CHYMICI vulnus simplex dicunt, *Vulnus sim-*
cum superficies ipsius cutis, quām plex quid.
 græci ἡπυν καὶ πιδεπυν, dicunt,
 cum carne sublecente lœditur, solu-
 tione ipsius continuitatis, cum effu-
 sione balsami naturalis, quod continuitatem con-
 stituit, & hæc effusio fit sine tumore, & inflamma-
 tione partium circumiacentium, aut cum vulnus
 factum est absque deperditione magna substantiæ,
 vbi nec os fractum est, nec nervus punctus, nec
 symptomata grauissima sunt, itaque dupli ratione
 vulnus simplex dici potest, primo, quod in
 eo vulnere fiat simplex effusio balsami naturalis,
 per solutionem leuem & superficiariam conti-
 nui. Secundò qnōd in eo non sint symptomata
 grauissima, & portentosa, at leuissima, & ni-
 bil mali prædicentia. Ita ut vulnus simplex sic
 breuiter definiatur, est deperditio seu effusio bal-
 sami naturalis, partium similarium per solu-
 tionem earum, absque magno detimento ipsarum,
 & absque sequela symptomatum violentorum, &
 magnorum accidentium. Causæ affidentes, ex-
 ternæ sunt, omnes res quæ possunt diuidere, scin-
 dere & separate partes unitas, humani corporis,
 quæ continent balsamum naturale ad sui nutri-
 tionem & conseruationem.

Differentiæ horum vulnerum simplicium su-

muntur, ex partibus quibus infliguntur, & ex figura externa, quam habent, ex profunda scilicet figura quadrata longa, triangulari, rotunda, quadrata, longa, triangularia dicuntur vulnera, quæ figuræ & formæ externæ, variant eorum vulnerum curam, & prognosim, ut videre est in rotundo vulnero, cuius labia cum æqualiter inter se distent difficillimè coalescent, propter eorum longinquitatem (& ut ita loquar) de osculationis difficultatem.

*Cura simplicium
vulnerum.*

Cura consistit in vnione simplici harum partium, quæ separationem & solutionem continui passæ sunt: Nam modo ligamento aliquo inter se, de osculari se possint, superimposito balsamo superius descripto capite 2. Huius sectionis, ad cicatricem deducuntur laudatam breuissimo tempore, aut sola virtute ipsius ligamenti, quia balsamum naturale internum modo ne putrefiat & corrum patur, hanc agglutinationem & cicatrificationem, per se facit & tentat, tamquam ad finem suæ conservacionis, poterit etiam inungi vulnero, ad eius agglutinationem sequenti balsamo, quod ad hæc est superiori præstantius, & citius aglutinat. Vnctio optimæ. Vncias duas, mellis albi vncias quinque, mirrhæ vnciam vnam, radicis aristologiq; rotundæ, & symphiti maioris an. Vncias duas croci martis vnciam vnam, hæc omnia puluerata indentur in matratio vitro, cum libris duabus aquæ ardantis optimæ, & maneant in digestione per duodecim, aut quindecim dies, quotidie agitando materiam, ut facilius spiritus vini extrahat tincturam rerum. Deinde per inclinationem extrahendus est spiritus tinctus & feces comprimen-

da & filtrandæ , nec clarescant liquores qui inde
eliiciuntur , & distillandi leuissimo calore , vt se-
paretur spiritus aquæ ardentis , & maneat in fundo
alembici balsamum , quo vti poteris ad vulnera
quæcumque aglutinanda , quæd balsamum dice-
tur , balsamum mumiæ cōpositum , nam ex mu-
mia paratur aliud simplex balsamum , sequenti
methodo . 2. Sanguinis humani recentis ex ho-
mīne sano , & valenti eliciti quantum volueris , po-
natur in scutella terrea vitreata , & disicetur super ^{Balsamum}
^{sanguinis} carbones , bacchulo ligneo agitando materiam ,
donec in puluerem siccum conuertatur , hunc pul-
uerem coniunge cum sufficienti quantitate spiri-
tus aquæ ardentis , & pone in matratio optime
clauso in digestione , per octo dies , agitando quo-
tidie naturam donec coloretur spiritus viui in san-
guinem , deinde filtretrur , & euaporetur in alembi-
co vitro , tenuissimo calore , ne combatutur do-
nec spissitudinem mellis habeat , hoc balsamum
serua & custodi in vasis vitreis , ad vulnera cu-
zanda , quæm cutissime , cui balsamo in æquali
quantitate si coniungas balsamum sulphuris , bal-
samum efficies mirandum pro cura , tuta cito , & iu-
gunda ulcerum omnium .

De vulnera quod & contusio dicitur.

C A P V T IV.

*Contusionis
descriptio.*



ONTVSIO secundum Chymicos; potest dici, quando i&tu aliquo violento, non inscisiuo, sed comprimente, carnis, sub cute, balsamum naturale, & sanguis partium contusarum, vasa sua linquit, & fugit cum violentia, iterumque redit cum motu violento, vt ferat opem, parti solutio- nem patienti, ita vt accusu balsami & sanguinis tumescat pars, & ibi corrumpatur balsamum & sanguis cum sint extra vasa sua, per illam contusionem, & corruptio, illa sanguinis, & balsami quæ fit, in contusione dicitur à græcis *αγχυμοσις*, quæ est sanguis coagulatus in parte contusa. balsamum ergo istud, & sanguis aut alijs liquor vita inseruiens, qui accurrit parti contusæ, cum sint, extra vasa sua naturalia, non possunt longo tem- pore incorrupta perdurari, hinc videmus carnes contusas, nigrescere liuescere, alijsque caloribus variegari secundum diuersos sulphuris colores, qui in corruptione per digestionem enascuntur; sulphur enim quod reperitur in balsamo naturali, est pater, & origo omnium harum secundarum qualitatum, dum sit quædam alteratio in eo bal- samo, corruptitur autem extra vasatum balsamum naturale, quod sal eius fixum & naturale, copia adundetitij serosi humoris seu Mercurialis dissoluatur, & sic sua siccitate priuetur, humidum ac-

*Corruptio
balsami vi-
evide de-
pendet.*

quirendo, cui calor naturalis ipsius balsami, & partium connectitur, & agendo in illud humidum copiosum, fit inde putredo, & corruptio in ipso balsamo, ni succurratur à Medicis, medicamentis putredinem inhibitibus, quæ ex sequenti methodo poterunt desumi.

Contusio vel est particularis alicuius partis, vel vniuersalis totius corporis, casu aliquo altissimi loci, vel contusione arenæ sacculis per vniuersum corpus facta. Tunc temporis si sit vniuersalis, mittendus est sanguis, è basiliccha brachij dextri ad quantitatem sufficientem & correspondentem viribus, & ætati ægrotantis, & regioni, ne sanguis ex venis internis occurrat magna copia ad partes contusas, & magnas producat enchymoses. Deinde dandum est contuso balsamum mumiæ simplex ad quantitatem dragme vnius cum vncia una succi limonum, ad refrigerandas partes internas, & ad eucyphosim euitandam, & Iulapia præscribenda, ex succo limonum, aqua rosacea, & decoctione acetosæ, & syrupo granatorum acidorum. Ultimo ad topica medicamenta deueniendum, perungendus est ægrotus, vniuersaliter toto corpore, balsomo mumiæ composto, superius descripto, & pelle arietina recenti inuoluendus est ægrotus, nam in tali pelle recenti, adhuc spiritus naturales ipsius animalis sunt qui summopere succurrunt partibus contusis, & roborant omnino partes. Vnde interim humido & refrigeranti est vtendum propter periculum febris, propter internas enchymoses, donec decidimus quartus dies transierit, vnde iuseula sua erunt alterata acetosa, portulaca, succo limonum, &

arantiorum aqua rosacea, & potus eius erit ptisanus. Ab omni medicamento purgante abstinentium est violento, & fortis, quia eo multiplicatur febris & enchyrosis, sed si alius non fluat enematibus emolientibus & refrigerantibus utendum.

Quantum attinet ad contusionem particularem alicuius partis, cum ferro aliquo, in aqua & aceto madefacto, comprimenda est contusio, pedeterrim, ut balsamum, & sanguis qui est in parte contusa cumularatus, redeat ad suas partes, tum ultimo forti ligamento liganda est, superposito emplastro astringenti, ex fermento, aceto, & croca martis parato. Quod si intra viginti quatuor horas, contusio sanata & curata non est, at enchyrosis magna sit, aperienda est scalpello contusio, & lauanda, extracto Aristologiae rotundæ, ter aut quater in die, donec perfecte cicatrisetur ulcus & curetur.

De vulneribus cum solutione venæ & arteriæ.

C A P V T . V .



V V L N E R A in quibus venæ aut arteriæ rumpuntur, differunt omnino, ab alijs, propter hanc hemorrhagiam, seu sanguinis fluxum copiosum, qui in his contingit, præsertim in ruptione magnarum venarum aut arteriarum, is enim sanguinis fluxus, illico compescendus est, cum sanguis sit thesaurus vitae, & spiri-

zitum, qui vna cum sanguine per totum corpus sparguntur, & deportantur, ad balsami naturalis nutritionem & conseruationem. Itaque si fluat sanguis, & pereat, & vna cum sanguine spiritus vitæ, & balsami fomes perire necesse est. Itaque compescendus est hic sanguinis fluxus, antequam curam vulneris aggrediaris; Ut autem hunc scopum pertingere valeamus, perpendendum est primo. An vulnerati permotus sit animus, ita aut aliqua alia animi passione, quæ quidem compescenda est & quiescenda, antequam media, sanguinem compescentia adhibeas, quia tunc temporis natura non recipit virtutes & efficacias remediorum cum sit in motu violento, & moueat sanguinem ad fluxum, Perpendendum etiam est, si sanguinis fluxus ex vena rupta dependeat ex coitu venereo, vel ex ebrietate, & ciborum repletione, vel ex motu violento aliquo corporis, ut saltu, tripudio, aut similibus, qui omnes motus, tum animi, tum corporis, temperandi sunt, & quiete aliqua extingendi, antequam remedia nostra adhibeamus, alioquin enim periculum est, ne pars tumefiat in phlegmonem, & aliquando, in gangrenam & superaccidat febris vniuersalis, varijs symptomatis & periculis concomitata, quibus sapissimè & citissimè succurrendum, relicta cura præcipua & principali vulneris nostri, unde in longius tempus quam par sit, & postulet prudentia Chyrurgiz, differtur, vulnerati solarium.

Postquam ergo sagaci mentis examine consideratae fuerunt hæ omnes rationes supradictæ, de- Cura vulnerum ex peniendum erit, ad sanguinis fluxum sistendum solutione astringendo & ligando si fieri possit orificio vena-

rum aut arteriarum quæ sanguinem fundunt su-
perimponendo medicamenta Chymica astringen-
tia & sanguinem innata virtute sistentia. Qualia
sunt, terra exanimata, seu mortua vitrioli calcin-
ata. Postquam enim vitriolum violentissimo igne
calcinatum est ad rubedinem usque, & solutum
in aqua communi, feces quæ relinquuntur ex so-
lutione illa, modo edulcorentur omnino, & pri-
uentur omni sale suo, qui sua est anima, terra illa
deinde dicitur mortua & exanimata vitrioli, quæ
citissime compescit & sistit, omnes hemorrhagias
tam externas, quam internas. Exterius applicatur
cum albumine oui malaxando simul & agitando,
& parti vulneratæ frigide applicando, interius ve-
rò sumitur cum succo granatorum acidorum, aut
limonum, aut cydoniorum, ad quantitatem drag-
mæ vnius, & sistit omnes fluxus ventris & diar-
rhœas. Crocus etiam martis pollet virtute effica-
ci, ad sanguinem compescendum, & præsertim ille,
qui paratur à Chymicis, ex chalybe candenti
in aceto extincto, donec chalybs in rubiginem
conuertatur, aut puluerem subrubicundum, qui
puluis in aceto stillatio digestus, donec coloretur
acetum, & acetum euaporatum, linquit melleum
liquamen in fundo alembici, qui liquor malaxa-
tus & incorporatus farinæ fabarum, vel bolo ar-
meniæ, efficacissimum prebot emplastrum, ad san-
guinem compescendum. Oicum etiam mercurij
superius descriptum idem præstat, causticando
partes & orificia venarum & arteriarum modo pa-
lea aliqua, hoc oleo delibuta pertangantur, quod
caute peragendum est, propter inflammationem,
quæ solet, ex caustico isto exoriri, si in magna

copia, oleum istud superimponatur, superiora iam dicta huic præstant, & anteponenda sunt. Præstat huic, lapis magnetis calcinatus & aceto extintus, donec in puluerem conuertatur & albuminioui malaxatus & vulneratis superimpositus, gypsum etiā calcinatum & lotum, & sale suo per lotiones varias & iteratas priuatum, valet, & confert ad eundem effectum vulneribus superimpositum. Postquam sanguinem fluentem compescimus; Vulnera deinde communi methodo antea descripta, ad cicatricem laudatam conducenda sunt, balsamis adhibitis.

De vulnera cum solutione nerui.

C A P V T VI.

NE R V U S cum habeat originem à sale, quod est in humido radicali, seu balsamo vitæ, in quo spiritus vitæ turgent, qui sunt ignes inuisibiles humido aquoso, & humido fixo, seu terrestri puro, & limpido circundati, vnde soliditas & transparentia in neruo est, neruus hic inquam competitus & conflatus ex tribus his substantijs mercurio, sale & sulphure, tubus & canalis, quo spiritus vitæ defertur vndiquaque per uniuersa corporis membra, ad eorum nutritionem & conseruationem: Si laedatur in ipsa sua substantia, necesse est, corpori ipsi superuenire, & accidere, symptomata præter naturam complurima, ut con-

vulsione, spasmos, motus, sensusque priuationes, & alia multa grauissima propter nervis miram armoniam & ad vitam, eiusdem necessitatem. Quibus vicis malis ut medeamur necesse est, primo scire, quo genere lassionis, laddatur ipse nervus, vel enim ladditur punctio, vel ruptione, vel contumione, his enim tribus tantum vulneribus laddi sollet: quod ut procul dubio sciamus, vulnera dilatandum est, in parte cornosa, ut optime nervi lassionem videamus, id autem faciendum est, subtili scalpello & subtili manu, & cauendum ne nervus iterum laddatur. Si punctus sit tantum superficialiter, & punctura non sit, profunda, & magna, at perceptibilis, unctio olei therebentinæ tubei, calide superimpositi citissime curatur. Si vero magna sit, & apparet, & aliqua nerva substantia seu pars scissa sit, scindendus est omnino nervus, & deinde oleum iterum therebentinæ tubeum rectificatum, calide superimponendum, vel tinctura mumiæ, ex spiritu therebentinæ extracta, superimponenda est calide, hæc enim citissime curat, omnia nervorum vulnera, praescripto idoneo vietis regimine, & missa semper sanguine, è parte aduersa & opposita parti vulneratae, ad reuulsionem faciendam, & inflammationem impediendam, id enim semper prius faciendum est, antequam remedia adhibeas parti lassæ. Essentie euphorbij, rutæ, rosmarini, saluæ, vermium terrestrium, vitellorumoui, sabinæ, resinæ, ceræ, picis, & mellis præstantissime sunt, & curant ci-
Balsamum tissime & tutissime vulnera nervorum. At datur ad vulnera compositum balsamum cæteris prædictis præstantiorum. tius, & nobilius, illud autem componitur sequenti

methodo. 26. Olei mellis rectificati. 3vj. Olei seminis ebuli & mirrhæ an. 3v. Balsami mumie superius descripti. 1vj. Misce seruetur ad usum in valvis vitreis optime clausis, balsamum etiam quod per descensum elicetur ex catulis, si ter aut quater rectificetur, præstantissimum etiam est remedium, ad hæc vulnera curanda.

De vulnera cum solutione ossis.

C A P Y T . VII.

DE vulnera cum solutione ossis, multa consideranda sunt: primo, an os cum solutione fractum ruptumque sit, intra carnes ne ossis & ipsas, absque laesione carnis aperta: *cicatrix*. secundo an ipsius ossis fractura intra carnes ipsas, sit cum fragmentis & frustulis, vel tantum raphanidon (ut inquit Galenici) sit fractum os, vel in longum scissum: tertio an fragmenta ipsius ossis fracti adhaereant & iungantur omnino periostio, quod est membrana, qua immediate, ossa circumteguntur & beneficio cuius ipsa ossa sanguine alimentum ex carne & venis, si enim non adhaereant, tollenda sunt ipsa ossa & fragmenta omnia, antequam remedia adhibeamus vlla, si vero os tantum transuersim rumpatur raphani instar colloquanda est pars, seu membrum, quod patitur vulnus, in suo esse naturali & liganda secundum artem & quies omnino toti membro, & corpori imperanda, donec natura callum obducat & porrumpit ut dicunt, vice ossis, quod solet fieri

intra quadraginta dies. Interim victus refrigerans & humectans ægroto est imperandus, sanguis mitendus, ex parte opposita parti vulneratæ. Ad febrem & inflammationes quascumque impedendas & arcendas, si in longum sit scissum, & adhaereat periostio, non auferendum est os, sed pars liganda, & in suo naturali situ, & esse collocanda, & eadem methodus obseruanda in hac fractione, ut in ea quæ fit raphani instar. Postquam ligata sunt membra, possunt exterius applicari balsama aglutinantia superiori capite enarrata, conferunt enim maxime omnia & præsertim balsamum mumiæ compositum & simplex, & balsamum ex catulis quibus balsamis, ad maiorem efficaciam poterit permisceri oleum ex ossibus humanis extractum, & rectificatum, & oleum simphtyti majoris seu consolidæ majoris, quæ omnia balsama multiplicantur, & adaugent virtutes & emergias prædictorum balsamorum, ita ut mirandos præstent effectus, in aglutinatione ossium fractorum.

De Vulnero animalium venenatorum.

C A P V T . V I I I .

*De vulnero
venenato &
cuius cura.*



V L N E R A quæ infliguntur ab animalibus venenatis, non differunt inter se, ab alijs, nisi ratione veneni, quod animalia ipsa, suis mortibus infundunt, in ipsa vulnera, ratione cuius veneni, particularem & peculiarem exigunt curam, ratione solutionis continui & aglutinationis ipsius solutionis con-

ueniunt & quadrant omnino , at in hisce vulneribus venenatis, solutionis ipsius continui aglutinatio , non est magni momenti : imò ratione ipsius curæ , est ultima in executione , præcipuum quod vrget , est venenum , quod in primis , est extinguendum , & è vulnere tollendum , & erradicandum. Ut autem methodicè id fieri possit , sciendum primo est , quid venenum sit , & qua ratione , suam exercet vim , & facultatem lethiferam , vt autem id sciatur , sciendum etiam est , quid sit alimentum & qua ratione sint inter se contraria , alimentum & venenum , contrariorum enim eadem est scientia , alimentum ergo , ex Chymicotum Philosophorum sententia (quæ quidem hac in re aliorum Philosophorum sententijs , & opinionibus præponderatur) est substantia similis & homogenea substantiæ , qua nos nutrimur & conservamur , & partes corporis nostri conflatae sunt , vel est substantia similis & homogenea humido radicali nostro quo vivimus , quæ substantia separatur à calore & attrahitur , per similitudinem suæ substantiæ , ab his omnibus quæ in alimentum sumuntur. Vnde verissimum est , alimentum esse substantiam puram quatuor elementorum virtutis cœlesti , seu spiritu æthereo , & vitali , impregnatam , quæ à calore naturali , animalium separatur ab esculentis , & poculentis omnibus , ut solum & conseruationem sui ipsius recipiat , hinc veneni definitionem colligere facillimum est , tamquam aliquid alimento contrarium , & sic verè definiens , venenum est substantia , quædam impura , dissimilis , & etherogena , substantiæ , qua vivimus , & partes nostri corporis conflatae sunt , vel

est substantia dissimilis, & contraria humido radia-
tali nostro, quo viuimus, quæ substantia crescit,
& ortum habet, ex excrementis vitalis substantia,
in quibus vis & efficacia mortis consistit. Vel in
genere, venenum dicemus impuram & excremen-
titiam clementorum nostrorum substantiam, nul-
lo coelesti spiritu æthereo & vitali, impregnatam,
at realgarinis virtutibus scatentem, & turgentem
quibus vita spiritus suffocatur, & extinguitur.
Itaque cum iam sciatur quid sit venenum, potest
facili negotio medicamentum & remedium, & ap-
poni, vt virtus eius euanescat, nec in vulneri-
bus quibus infunditur, suam exeret facultatem, &
retundatur & disperdatur.

Cura vulneris. Cum ergo vulnus aliquod venenatum, tibi oc-
currit, quod in imprimis agendum est, balsamo
vita, tum ipsius vulneris, tum totius corporis
succurrentium est, alexiterijs, quibus turget Chy-
micorum myrothecium. Si quis morsus fuit &
vulneratus ab apibus, à vespis, à serpentibus & ab
alijs animalibus venenatis, quibus terra nostra &
regio scatet, illi ipsi succurres, sole aquæ theria-
calis lotione, cum sale communi calcinato, cucur-
bitulam prius applicando vulneri, vt fortius, &
citius attrahatur virus veneni, quod adhuc in su-
perficie vulneris residet, quod si profundius quam
in superficie ejaculatum sit, oleum myrræ, est
applicandum, & vulnus lauandum aliquo sale ser-
pentis, in aqua theriacali, cuius etiam serpentis
salis, in aqua theriacali soluti, dragma una potanda
est, vt vicus veneni penitus extinguatur: obser-
uato victus regime refrigeranti & astringenti,
vt in febribus pestilentibus, si vulneris ita postuleat
& exi-

& exigit periculi ratio. Si verò vulnus infligatur ab aliquo alio animali, quod potentissimum, & lethale habeat omnino venenum, quale est venenum rabidi canis, viperæ, scorpionis & similiū animalium, quæ venenum subtilissimum & acutissimum habent, quod citissime penetreret totum vitæ balsamum, & suis inficiat qualitatibus, huic vulneri possumus mederi vnicō remedio chymico, quod potentiam habet & efficaciam, omnia venena euincendi : est autem istud remedium, spiritus salis purus, & rectificatione multoties iterata, ab omnibus excrementis vindicatus, & corpori suo itidem puro, & calcinationibus multis, & s̄pē iteratis, cum lotione multiplici, ab omni excremente terrestri vindicato, coniunctus : hic spiritus & corpus suum, simul iuncta, sunt remedium potentissimum & efficacissimum, imò & certissimum vulnerum omnium venenatorum, quæ ab animalibus venenatis infliguntur. Qui huic certissimè veritati fidem recusant, perpendant queso, & rationis lance præponderent virtutem aquæ marinæ in curandis vulneribus rabidi canis ; hæc enim solo aquæ marinæ balneo curantur, ratio autem est, quod mare abundet tali spiritu qui incoagulatus & infixus, suas permeat, aquas & inflat, vnde cùm quis vulnere venenato infectus his proluitur aquis, spiritus salis statim penetrat vulnus, & venenum ibi latitans, sua innata facultate extinguit, imò & alijs suis manifestis qualitatibus, balsamum naturale ipsius partis, à putredine conseruat. Ità ut sic præseruatum, ad naturale suū esse, seipsum ipsummet redigat, & solutionem continui curare aggrediatur, hoc autem

remedium paratur difficillimè , & postulat ; do-
ctum & patientem artificem, propter difficultates
& longinquitatem suæ præparationis, quòd phar-
macopolis nostris durum penitus est, & nimis ar-
duum; nihil enim amant, nisi quod paratu facilli-
mum est, & quòd citò crumenas implet, ità vt fa-
ciant & parent remedia , non sanitatis ergo, sed
auaritiae , & ditandi causa. Si quis medicorum
noctes, & dies , annos & menses , & totum vitæ
suz cursum impendat præparationibus Chymicis,
& inquisitioni noui alicuius medicamenti , vt lo-
cupletius antidotarium reddat, & maiorem consti-
tuat medicamentorum supellecilem , statim om-
nes eum ipsum inuidiæ stimulis lancinant & mor-
dicant, & audacem prædicant, & temerarium me-
dicum , qui omnis preta ratione & methodo, ægros
precipitat , leui quacumque occasione, vt me-
dicamenta sua tentet, & probet, quod mihi conti-
git in natali mea ipsa ciuitate Castronouodarensi,
in qua semper omnes pharmacopolas, imò & me-
dicos alios omnes , non commilitones , sed Zoï-
los inuidiæ plenos habui. At non me terruit vnu-
quam hoc humanæ miseriæ telum , imò potiùs,
aduersus ipsum fortior , contractis supercilijs steti-
, & audentior iui, vt medelam ferre possem om-
nibus malis , assumptis vndiquaque medicamen-
tis, & quòd ex Galenico fonte haurire non pote-
ram, id ipsum ex mari Chymico , expiscari non
erubescbam. Itaque si in cura vulnerum canis
rabidi, non satis valeant medicamenta Galenica,
eritne dedecus medico , si recurrat , ad fontes
Chymieorum , vt inde hauriat aquas tanti vene-
ni viætrices ? si verò non habeat salis spiritum , vt

huic veneno subuenire possit , poterit medicus
Spagyricus sequentur methodo.

Scarificetur vndiquaque vulnus & dilatetur .
vt ex paruo fiat magnum & sanguis effluat : quam-
diu effluere poterit , deinde comprimendo vulnus
& aqua salita lauando , iterum compelletur ad
sanguinis fluxum , vt venenum vnà cum sanguine ,
& sanie foras effluat. Deinde adhuc cucurbitulae ,
cum multa flamma applicentur vulneri , vt attrac-
tio maior fiat , applicatis cucurbitulis , & s̄pē
iteratis , vngatur vulnus oleo Mercurij , vel aqua
forti , aut causticis , in aqua ardenti dissolutis , vt
si quid veneni adhuc latitet in partibus ipsius vul-
neris , aduratur & in aliam conuertatur naturam ,
adurentibus hisce medicamentis , quæ potentiali
suo igne profundissimè penetrant , & vulnus ip-
sum summopere inflammant , ita vt per inflamma-
tionem attrahant superficialiter humotes adhuc
profundos : & sic natura ipsa ex toto corpore , vt
extinguat illum ignem , humorem illuc admittit ,
vnde in illa admissione , venenum etiam admittat-
ur vnà cum humoribus , ibique ambo putrescunt
& formæ veneni exeunt , illæso corporis totius
balsamo , interim dum hæc fiunt , partibus internis
& cordi præcipue est succurrendum aqua theria-
cali , assumpta , cum oleo Spagyricè præparato fer-
ri , seu marris , ad quantitatem guttularum decem ,
aut duodecim in vncia & semiisse aquæ theriacalis
si non adsit febris , si verò febris adsit , in vncia una
succii limonum dari etiam poterit : caro serpentis
alicuius sale communi decrepitato condita , vel sal
serpentis alicuius , quod potentissimum est reme-
dium , aduersus omnia venena , si sumatur in aqua

cardui benedicti aut vlmariæ , ad quantitatem dragmæ vnius , supersudā ~~per~~ ^{per} decem aut octo dies , iteratis iisdem potionibus , vt venenum ad superficiem è centro pellatur , potest etiam dari ad maiorem efficaciam , Deique gloriam & laudem qui benignè vbi malum , ibi remedium posuerit , sal ipsius canis rabidi , qui ex combustionē ipsius corporis elici potest vt artis est , quiq[ue] purificatus & lotus filtrationibus & lotionibus ad quantitatem dragmæ vnius in vncia vnicâ aquæ theriacalis , vel vlmariæ poterit propinari singulis matutinis horis ieiuno stomacho , donec convaluerit omnino æger , & quadraginta dies transierint , per quod omne tempus vulnus semper aperatum tenendum est , & ne coalescat & cicatrizetur impediendum omni arte adhibita , vt venenum inde exire possit faciliter , quæ per reliquas corporis partes , sic Decdante habebis absolutam canis rabidi vulneris curram , medicamentis hisce Chymicis , quæ cùm putredinem nesciant , putredini maximè resistunt , & hinc omnibus rebus quæ inducunt putredinem , etiam obsistunt , quod in curandis vulneribus , præcipuus debet esse scopus : Si enim medicamenta quæ foras applicantur corruptioni obnoxia sunt , imò & corrupta ipsamet , qua ratione & qua mente potest concipi , vt vulnus ipsis medicamentis curari possit , nihil enim dat quod non habet , sanitas & incorruptibilitas (vt ita loquar) in vnum concurrunt , si ergo medicamenta communia incorruptibilitatem non habeant , imò ipsa corrupta sint (nam pulueres radicum , & herbarum , & ipsa fæcæ olea , quæ compositionem eorum ingrediuntur)

tur , cariem & rancorem effugere non possunt, vnde tetrus odor & fætor in emplastris , & vnguentis communi methodo paratis (si ergo hæc medicamenta communia corrupta sint, qua ratione poterunt dare vulneri sanitatem , si incorruptibilitatem , ipsi vulneri præstare nequeant, neque eius balsamum impedire , quin corrumpatur , & putrefaciat : hoc est velle curare putredinem putredine , & Hippocratis oraculo , fidem non adhibere , quod iubeat , contraria contrarijs esse curanda. Resipiant quæso Medici Galenici , qui omni spreta rationis lance , medicamenta Chymicæ, imò , & totam artem Chymicam floccipendunt , in eamque v'lulant, veluti canes in lunam , at eorum v'lulatus , nec splendorem eius diminuet nec extinguet , quin radijs suis collustret infinitos Hermetis filios & alumnos , qui pretium suum , condignis verbis extollent, eique templa & altaria honoris & laudis , mente pura , & non fucata constructa, in eiusque tholis spolia ampla inimicorum omnium suorum suspendent.

*De Vulneribus Scopetorum, armorumque aliorum
igneorum.*

C A P V T I X.

VLNERA omnia quæ ab armis igneis sunt , non differunt ab alijs quæ in superioribus capitulis tractauimus ; habent enim solutionem continui omnia communem , & multa alia quam plurima sympto-

*Vulnera
sclopetorum
qua ratione
differant ab
alijs.*

mata, nempe solutionem nerui, venæ, arteriæ & ossis, & præterea dolorem, inflammations & totius corporis febrem: at hæc tamen vulnera differunt ab alijs, quod in his sit adustio partis vulneratæ, veluti facta fuerit ab aliquo ferro candenti & ignito, propter illam adustionem & aggregata omnia dicta symptomata, quæ in his vulneribus reperiuntur, hæc vulnera peculiarem expostulant curam. Ita ut cum hoc vulnus sit quasi compendium reliquorum omnium vulnerum, cum in solo ipso vulnero, alia cætera comperiantur, necesse etiam est excoigitare remedia quæ propria sint & conueniant omnibus vulneribus, & simul eurent eorum omnium symptomata. Adustio quæ in hisce vulneribus comperitur, aduenit ex motu illo violentissimo, quo voluitur & fertur pila illa plumbea aut ferrea, quæ ex illis instrumentis ferreis, igneo puluere & tormentario plenis, igne concepto foras cum violentia pelluntur & emittuntur; in illo enim motu violentissimo, incandescit pila illa, ita ut candeat & ignescat: quo circa dum alias corporis partes vulnerat, suam ignitam & carentem facultatem parti imprimit, eamque adurit, ac si esset aliquod ferrum, igne ipso concalcatum & ignitum. Addam & ego quod ex puluere tormentario ipso, quod componatur & fiat ex sulphure salepetra & carbonibus, simul malaxatis & alchoolizatis permixtis, crusta quædam salita igne potentiali plena, cooperiatur pila illa plumbea, qua vti solent milites, ad instrumenta sua bellica implenda & sarsienda, beneficio cuius crustæ salitæ & ignitæ, carnes vulnerum aduruntur, & causticantur, vnde necesse

est medicamentis proprijs & conuenientibus illam adustionem tollere, quod sequenti methodo fieri. Imprimis applicandum est vulneri recenti vnguentum refrigerans saturni, descriptum capite de erysipelate, sectionis primæ huius operis, quod ex aceto stillatitio & minio, litargyrio, aut calce plumbi paratur, cum oleo rosaceo: postquam viginti quatuor horæ transferint, ab applicato vnguento illo saepius iterato intrà illud tempus, ut virtus caustica omnino tollatur & extinguitur, mitten-
dus est sanguis ex parte opposita parti vulneratae, ad reuulsionem faciendam, ne balsamum vitæ, ni-
mia copia ruat, in partem vulneratam, & copia sua pro-
ducat obstrukiones, & hinc caloris naturalis euentilationis prohibitiones, vnde inflammatio-
nes & multa alia grauissima symptomata: Misso
sanguine ad quantitatem viribus ægrotantis cor-
respondentem, immittendum est in ipsum vulnus ipsum oleum myrræ, permixtum in æquali
quantitate cum extracto Aristolochiae rotundæ, vel
cum extracto symphyti maioris, cum aliquibus
guttulis spiritus salis, & olei rectificati garyo-
phillorum: hoc balsamum mirum est, in curandis
hisce vulneribus, modo syphone aliquo in omnes
eius sinus penetret & immittatur, & si vulnus ha-
beat exitum, oportet ut balsamum istud excat, ab
illa parte, & sic perfecte colluat totum vulnus.
Quod si vulnus non habeat exitum, at vnum tan-
tum profundum foramen, in quo adhuc pila
plumbæ superstes est, quod in hoc vulnera facien-
dum est, ante applicationem balsami, est pilæ il-
lius plumbæ extractio, aliarumque rerum hete-
rogenearum, ut sunt fragmenta ossis, & vestimen-

*Cura vul-
neris slope-
torum.*

ti , & alia multa quæ in instrumentis bellicis reposita inueniuntur, quæ omnino extrahenda sunt, ut vulnera agglutinari & curari possint : postquam ergo extracta sunt volcellis , & alijs instrumentis Chirurgicis illa omnia , applicandum est balsamum superius dictum , & continuandum donec curatum absolutè sit vulnus : imperandum est etiā vulnerato vt partem vulneratam immotam teneat, nam si ligamentis id facere cogatur , periculum est ne propter ligamenti violentiam , dolorem patiatur multum & grauem , quod omnino euitandum est , vnde ligamenta omnia stricta fortia , & pixides cupreæ vel ligneæ , quas Chirurgi excogitarunt ad partes vulneratas inuitis vulneratis, immotas tenendas , improbandæ omnino sunt, quod dolorem excitent, quod omnino euitandum : nam natura dum molitur curam, nullum excitat dolorem : vnde Chirurgus prudens & doctus, cum sit naturæ seruus, sequi omnino debet naturam & imitari , vt autem ad hunc scopum queat collimare Chirurgus, multa sunt apud Chymicos Medicos balsama , vulnera omnia curantia absque ullo dolore. At inter ea ipsa , quæ ego in scriptis Chymicis reperi, tria tantum notatu dignissima competri , quibus Chirurgus vti poterit. Primam sic componitur: Accipienda est caro humana recens & sani hominis , ad quantitatem trium aut quatuor librarum , deinde 2. Pulueris radicis Aristolochiae libram semis , radicis symphyti maioris libram unam, rhabontici vncias duas: Rheubarbari optimi vnciam unam , baccarum succi vnciam unam, croci martis vncias tres , minij vnciam unam , florum hypericonis manipulos duos , pilocellæ & mille-

folij an.m.j. linguæ serpentis m.vj. folij serpentariæ maioris m.j. iarri m.ß. foliorum lauri m.j. betonicæ & florum eius an. m.ij. corticis mali granati, & quercini an. tb. j. fructuum rubi. tb. ij. omnia contundantur, & caro rumpatur in frustula, & bulliant simul per duos dies, in vase duplii optimè obturato, cum optimo vino rubeo, imponendo semper vinum, dum inter bullendum consumuntur, peracta hac coctione, materia prælo est torquenda, ut exprimatur vinum, & succus rerum quæ motionem passæ sunt, magma quo ex expressione relinquitur magno igni committendum ut calcinetur, & reducatur in cinceras albissimos, qui coniungendi sunt decoctioni præcedenti, & huic addenda sunt olei therebentinæ vnciæ tres, olei myrræ 3.ij. olei garyophillorū, 3. 8. olei ceræ 3. iiiij. olei mastichis 3.iiij. olei Sacchari 3 iiiij. Extracti sanguinis humani, seu tinturæ iplius tb. 8. misceantur, & in phiala vitrea forti & capaci, impellantur & obturentur, & digerantur in cineribus tepidis per decem, aut quindecim dies, deinde bulliant simul aperto vase, donec consumatur, & euaporetur liquor humidus & aquosus, relicto tantum oleoginoso: deinde dum adhuc calet filtrandum oleum ut separetur à cineribus, & partibus crassis & terrestribus, & reponendum in vasis vitreis obturatis, ad usus nostros mirandos & stupendos.

Secundum balsamum quod ego miratus sum *Balsamum*
sæpiissime, est ex Antimonio, sequenti methodo.
Antimonij.
 2. Antimonij crudi & Mercurij sublimati an. tb. ii. reducantur, in alchool tenuissimum, & deinde misceantur simul & indantur vitreæ retortæ, &

distillentur lento igne , gummi quod egreditur re-
&ificetur semel in noua retorta, deinde postquam
rectificatum fuerit gummi istud , ponatur in phia-
la vitrea capaci & super illud proiiciatur magna,
quantitas aquæ laudati fontis , limpidae & claræ,
& permisceantur simul , & conuertantur in lac.
super sedeant deinde, vasque quiescat , vt hypostasi
facta , aqua clara quæ supernat pulueri albo, per
inclinationem auferatur, addendo nouam aquam
laudati fontis , & iterum agitentur simul & mo-
ueantur & quiescant: vt iterum hypostasi facta,
per inclinationem, auferatur eadem aqua clara , &
coniungatur priori in vase aliquo vitro reserua-
tz, opus hoc iteretur tamdiu , quamdiu aqua quæ
superfunditur pulueri albo , acris est & acetosa,
puluis hic albus sic lotus & dulcoratus : potest re-
seruari ad purgationem vniuersalem cuiuscumque
morbi , aqua vero acetosa distillanda est, calore
leui cinerum , donec guttae quæ exeunt, acescant,
tunc temporis finienda est distillatio , & quod re-
manet in fundo alembici acre , & valde acetosum
acciendi & superfundendi est, Antimonio cru-
do in puluerem tenuissimum reducto , in vase vi-
tros oblongi colli , & per mensem integrum di-
gerendū in cineribus tepidis, donec coloretur An-
timonii acetum, seu spiritus acetosus, in rubicun-
dissimum colorem , instar sanguinis : hæc deinde
tinctura auferenda est per inclinationem, & nouus
spiritus acetosus eiusdem antimonii superfunden-
dus & iterum digerendus, donec coloretur ut ante,
& sic tota tinctura antimonii extrahenda est , quæ
distillanda est leuissimo calore balnei , donec gut-
tae fluescant , tunc temporis cessanda est distilla-

tio, & magmati melleo, quod in fundo alembici remanet, superfundendus est vini spiritus rectificatus, & digerendus donec coloretus, & auferendus per inclinationem post colorationem, & iterum superfundendus nouus est spiritus, & digerendus, donec iterum tota extrahatur tinctura beneficio viui spiritus, hic spiritus tinctus, distillandus est leui calore, donec eius guttae flauescant: tunc temporis mutandum est recipiens, & vera tinctura Antimonii recipienda, quae est balsamum mirum, quo uti possumus ad vulnera omnia absque dolore curanda, immo omnia vulnera tam interna, quam externa, & optimum est arenum ad lepræ moderanda symptomata, & leniendam eius ferocitatem. Multi sunt Chymicorum, qui in descriptione istius balsami, acetum commune stillatitium assumunt, at decipiuntur omnino, nulla enim tinctura elicetur aceto communi stillatitio, nam ipsem expertus sum tincturam antimonii extrahi solo suo spiritu acetoso, ut experientia ipsa testari poterit cuilibet Chymico.

Tertium balsamum quo uti possumus ad vulnera nostra curanda, potest desumi ex carne hominis vel carne cerui, sequenti methodo. 24. Carnis humanae, vel ceruinæ. lb. vij. Scindantur in minuta frustula, & indantur in phiala vitrea obturata, & bulliant in balneo mariæ per quatuor horas continuas: deinde dum adhuc calent vas, aperiatur, & per inclinationem auferatur liquor carnis humanae, aut ceruinæ, magma vero quod in fundo vas remanet comburendum est, & calcinandum fortissimo igne, ad cineres usque; ex cineribus per aquam communem sal extrahendum est, ut ar-

sis est , & purum putum factum calcinationibus multis & lotionibus iteratis conuertendum est , & coniungendum liquoris suo , cui denuò est adiungendum sal ex ossibus humanis extractum , aut ceruinis , & sal etiam hypericonis ad quantitatem vnciarum trium , aut quatuor si fieri potest , ut conseruari possit illæsus & incorruptus liquor balsamicus carnis humanæ , aut ceruinæ : huic adhuc mixtioni & compositioni addendum est oleum therebentinæ & ceræ , ad quantitatem medij ponderis totius commixtionis , & sic conflatum hoc balsamum reponendum est , in vasis vitreis perquam optime clausis ad usus nostros .

Multa alia sunt balsama , apud Chymicos quibus vulnera omnia curari possunt , at hæc supradicta mihi magis arrident & placent , non contemno tamen alia , quibus omnibus balsamum Antimonij enarratum antepono , & consulo omnibus Chirurgis ut præ manibus habeant ; nam si illud debitè præparatum possideant , non egent medicamentis aliis , vt curent cutaneos omnes morbos , modò vietus præscribatur opportunus & conueniens , vt in vulneratis ab armis igneis , & tormentariis præscribendus est vietus humidus & frigidus , ad arcendas phlogoses , tum generales , tum particulares ipsius vulneratæ partis , vinumque prohibendum est , donec septimus saltem dies transierit , aut decimus quartus , in quibus solent extiri omnia periculosa vulnerum symptomata , & loco illius possunt uti ptisana , cum syrupo limonum & guttulis nonnullis olei vitrioli , vel sulphuris , iuscula vulneratorum alterari debent cucurbitis , cucumere , melone , portulaca , lactuca , &c

etiorio, & possunt edere omnes iuuenes carnes, & pisces omnes, & cum hoc victus regimine Deo dante, ad laudatam & breuem vulnerum omnium cicatricem & agglutinatione perueniet Chirurgus prudens doctus & diligens, cui regimini addet vulnerum nitorem, hoc est, ut quotidie vulnera abstergat ab omnibus excrementis, immo membra vulnerata ipsa, & totum corpus, à fuliginibus crassis, & alijs exrementis emunget, ut corpus transpiret, & membrum vulneratum, ne hinc exsurgent multa symptomata, quæ non ex vulnere, at ex transpiratione impedita exoriri solent.

De Vulneribus Capitio.

C A R V T X.

APYR cùm in se coërceat omnes animæ facultates, sit domicilium ipsius ribus capite. animæ, & organum sensuum omnium, si vulneretur profundo aliquo vulnere, ita ut cranium ipsius offendatur, symptomata multa patitur peculiaria, quibus aliæ partes vulneratæ non afficiuntur, veluti sunt conuulsiones universales, spasmi, stupores, diminutiones sensuum cum priuatione vocis, quæ omnia symptomata originem habent ex partibus læsis, & offensis, quæ cranio coërcentur, læsq; enim hæ partes vel per se, vel per sympathiam & communicationem, patiuntur alterationem in suo balsamo naturali, fixo vel infixo, quod est causa proxima & immediata animæ facultatum & virtutum &

potentiarum organicarum. Chirurgo itaque cui erunt eiusmodi vulnerati, competet vulnera ipsa speculari, & videre an profunda valde sint, & qua in parte capitis sint, quæque ossa cranij offendantur & suturæ, ut iudicium firmum & certum de his vulneribus ferre possit. Si pericraniū solum quod est membrana carnosa cranij lædatur, illud vulnus facillimæ est curæ, breuissimoque tempore agglutinationem adipiscitur, methodo communī curandi vulnera simplicia: si verò cranium offendatur, quod læsum est in ipso cranio tollendum est prius ante curationem ipsius vulneris, dilatando imprimis vulnus ut partes omnes ipsius læsi cranij conspicere valeamus: deinde partes omnes ipsius cranij læsi, auferendæ sunt instrumentis Chirurgicis, quibus turget Chirurgiæ supellex: cerebri vètè substantia cooperienda est linteo aliquo delicato, balsamo humanæ carnis peruncto, quod ante descripsimus, regimen viætus optimum & medicum obseruando, & sanguinem mittendo è basilica partis affectæ, eiusdem lateris, viribus ægrotantis correspondentem, ad reuulsionem faciendam, ne sanguis concurrat ad partem vulneratam, ibiq; putrescat & causentur varia symptomata vulneribus eiusmodi frequentia, quibus ut occurramus tutissimum est remedium sanguinis missio, quam postquam celebrauerimus methodice, vulnus ipsum tantum linteis delicatulis, balsamo carnis humanæ supradicto perunctis, & modice de libutis cooperiendum, cauendo ne magnâ copiam balsami in ipsum vulnus immittamus, eò quod balsami ipsius substantia ingredieretur substantiam cerebri, & ipsam læderet, quod non so-

lum in balsamo obseruandum est, sed etiam in omnibus aliis medicamentis, vulneribus capitis applicandis; nam substantia ipsa cerebri non patitur ullam aliam substantiam, quin laedatur ab illa, unde non lauanda sunt vulnera capitis, in quibus cranium sublatum est, & ipsa cerebri substantia denudata est, sic sola applicatione balsami carnis humanæ, eiusque perunctione curabuntur Deo dante omnia capitis vulnera, & symptoma omnia grauissima curabuntur, perungendo eodem balsamo spinam dorsi, & partes capitis vulneri collaterales.

De Vulneribus Pectoris.

C A P V T X I.



V L N E R A pectoris aut profunda *De vulneribus* sunt, aut superficialia, que superficialia sunt, nullo modo ambigendum ris. est quin simplicia sint vulnera, & quin cureantur eadem ac simili methodo vulnerum simplicium. Quando verò profunda sunt, vulnerantque partes ipsius thoracis internas, tunc temporis peculiarem expostulant curam, & distinguuntur ab alijs simplicibus vulneribus. Perpendendumq; Chirurgo prudenti & docto, qualēnam sint vulneratæ partes. An pulmōes, vel mediastinum, an Diaphragma, vel vena porta, vel cor. Omnes enim hæ partes considerandæ sunt, tamquam vitæ necessariò inservientes, quarum partium vulnera lethalia fere

sunt omnia, & adhuc lethaliora sunt propter dispositiones prauas harum partium, ad morbos fixos & hecticos, in nonnullis subiectis. Qua ratione consulo, omni prudenti Chirurgo ut illico in vulneribus profundis pectoris, in quibus aliqua pars vitalis, aut vita inseruiens lreditur, recurrat ad prognosticū mortis, ne infametur præsidia quæ multis fuere saluti, néue videatur Chirurgus eum occidisse quem fors ipsa peremit, factō tali prognostico, recurrentum est deinde ad remedia salutaria, nec propterea debet Chirurgus auxiliares vulnerato suo recusare manus, quod sequenti methodo facere poterit.

In primis debet vulnus ipsum spatula sua argentea, vel candela aliqua tenui percontari, vt sciat à quibus partibus tendat & quas vulneret. Deinde vulneri applicandum est emplastrum refrigerans & astringens, descriptum in capite de vulneribus simplicibus, & statim mittendus est sanguis ex basilica opposita parti vulneratae, vt reuulsio fiat, & vulnerato imperandum est, seu consulendum, vt cubet super vulnus suum, vt sanguis effusus in capacitatem thoracis effluat foras per orificum externum vulneris. Post duodecim horas ab applicatione emplastri astringentis & refrigerantis, renouandum est illud ipsum emplastrum ter aut quater, & singulis vicibus pus & sanies ipsius vulneris extrahenda sunt, & abstersum perquam optimè vulnus perungendum est balsamo sulphuris superius descripto, capite de gangrena Sectionis primæ, & vulneratus debet semper accumbere vulneri suo, vt pus & sanies exeat & reliqua omnia quæ sunt vulneri extra-nea,

nea, semper solo balsamo sulphuris perungendum est vulnus missis omnibus alijs remedijs, solo enim illo, & vnico possunt optimè curari omnia thoracis vulnera. Tinctura etiam Aristolochiae rotundæ oleo violaceo dissoluta confert maximè ad eamdem curam: at sulphuris balsamum præstat.

In hisce vulneribus solent superuenire multa grauissima symptomata qualia sunt febres, difficultates respirationis & vrinæ, quibus omnibus possumus subuenire optimo vietis regimine, refrigerante putre & humectante, & mediocriter abster gente. Vinum omnino prohibendum est & loco illius vtendum ptisana alterata syrupo de liquiritia, & de tussilagine cum guttulis nonnullis olei seu aceti sulphuris per campanam facti. Lac assinum & humanum imperandum ut bibant toto curationis tempore, & iuscula sua alteranda sunt herbis pectoralibus.

Datur & aliud balsamum sulphuris superiori præstantius ad curanda prædicta vulnera, quod præparatur ex floribus sulphuris in spiritu therebentinæ decoctis in vitro vase obturato, donec rubescat ut sanguis spiritus: hic spiritus tinctus supermiscendus cum optima aqua ardente alcholizata, & digerendus est, donec tinctura sua spoliatur, & transeat in aquam ardentem, quæ distillanda est leuissimo calore, ut in fundo relinquit sulphuris tincturam, quæ fortissimo igne compellenda est in nouum recipiens vitreum, & seruanda ad usus, potest applicari externè, & assumi internè ad quantitatem guttularum, decem aut duodecim cum lacte humano.

Balsamum etiam quod præparatur ex margaritis

preciosis, præstantissimum est remedium in curandis pectoris vulneribus : præparatur autem aceto stillatitio, in quo dissoluuntur margaritæ, digestionibus varijs & iteratis, in eodem acetō renouato & iterato, super sal quod relinquitur ex evaporatione primi aceti dissoluentis illud sal purū putum factum solutionibus in aqua communi factis, & evaporationibus multoties iteratis, soluitur in spiritu optimo vini, & simul in vase vitro oblongi colli digeruntur : deinde per distillationem separatim spiritus vini, & ultimō in recipiente nouo colligitur spiritus, seu balsamum margaritarum, quod phthisicis curandis, & vulneribus pectoris omnibus alijs remedij & medicamentis præstat, & antecellit : potest etiam idem spiritus margaritarum decorandę faciei mirum esse pigmentum.

De Vulneribus superioris & infimi ventris.

C A P V T XII.

*De Valne-
ribus supe-
rioris & in-
fimi ven-
tris.*



V L N E R A superioris & inferioris ventris si profunda non sint, nec vulnerent partes internas in hisce locis contentas, non differunt à vulneribus simplicibus, & debent curari ut simplicia vulnera : quod si profunda sint, & vulnerent partes internas, tunc temporis differunt valde, & periculosa sunt secundum partes quas vulnerant ; ventriculus enim si vulneretur in sua substantia, & ita profundum sit vulnus, ut vndi-

quaque perforetur conclamatum est de salute ipsius vulnerati; ventriculus enim pars est spermatica, numquam agglutinationem & coagulationem recipit: si vero superficiatim vulneretur, potest curari in optimè temperato, & eucymo viro, à prudenti Chirurgo, & experto, & docto, in medicamentis & balsamis adhibitis ex auct., & præscripto optimo viuendi regimine. In eorum vulnere subueniunt dolores ingentes & crudeltes, quibus succurritur oleo therebentinæ, & balsamo mellis & sacchari; plurimum enim conferunt hæc balsama, in ventriculi vulneribus curadis & agglutinandis: sumuntur ad quantitatem dragmæ semis in lacte humano, & applicantur exterius tepide immittendo in vulnus ipsum ipsa balsama. Si vero hepar ipsum vulneretur profundè valde, conclamatum omnino est de salute ipsius vulnerati; si vero superficiatim tantum, potest in eucymo corpore curari hoc vulnus, appositis balsamis sanguinis humani & carnis humanæ, & interius assumptis, ad quantitatem dragmæ ynius cum dragma semisse essentia ferri, in iusculo optimo, aut lacte humano vestigato chalybe carenti, balsamum etiam antimonii superius descriptum multum & plurimum confert ad curationem horum vulnerum; sed omnibus prestat tinctura sanguinis humani, & balsamum carnis humanæ, quod est omnibus anterendum. Interim dum hæc fiunt & vulnus tractatur, non est silencio transcendum, quod mittendus est sanguis ex basilica brachii dextri ad quantitatem viribus vulnerati correspondentem, & vulnerato consulendum ut semper & aliud, vulneri suo accumbat, ut pus & sanies foras ex-



eant, ne pariant copia sua inflammationes internas & phlogosae.

Essentia ferri & essentia coralli multum etiam confert, ad curationem huiusc vulneris & splenis, qui, ut & hepar vulneratum curari debet, obseruando eamdem methodum; non tamen adeo periculosiora sunt splenis vulnera, ac hepatis. Quod si omentum & intestina vulnererentur, sequenti methodo procedendum est ad eius curam: omentum imprimis illico intus suo loco collaudum est, & reponendum; quod si aliqua parte sui refrigeretur, illa pars secunda est, & reliquum omenti stricte ligandum est, & intus reponendum, & pars qua resecta est, perungenda est, antequam intus reponatur, balsamo carnis humanæ, ut citius coalefcet, immo ligamentum ipsum, quo ligatur omentum delibutum debet esse, & madidum balsamo eodem: deinde comprimentum est vulnus, ne iterum exeat omentum, & balsamis antimonii, carnis humanæ, & tintura sanguinis humanæ vulnus ipsum perungendam est ter in die, & vulnerato praescribendum est regimen victus humidum & refrigerans: oportet ut cibetur iustulis tantum alteratis lactuca, cichorio, portulaca, & acetosa, & adhuc parce admodum cibandus est, ne copia ciborum ingestorum tumeant intestina, & sic impediatur eorum (si vulnerata sint) curatio; nam intestina eadem methodo curari debent ac omentum, non tamen vlo pacto rescindenda sunt, sed consuendo filo aliquo tenui serico rubeo, balsamis predictis delibuto, & vulnus externum hisdem balsamis semper perungendum donec coalefcet: tintura sanguinis humani potest



SPAGYRICA.

assumi interius, & potari in vulneribus intestino-
rum & ventriculi, vt citius coalescant & aggluti-
nentur: nec silentio & obliuione inuolacula est
sanguinis missio, ad quantitatem viribus vulnera-
ti correspondentem: in omnibus vulneribus san-
guinis missio est potentissimum arcanum, ut symp-
tomata mitigentur, & ne noua oriantur, quod cu-
rationem valde accelerat.

De Vulneribus Articulorum & iuncturarum.

C A P U T X I I I .



R T I C V L O R V M & iunctura- *De Vulne-*
rum vulnera differunt omnino ab *ribus arti-*
alijs omnibus prædictis vulneri- *cotorum.*
bus, propter copiam neruorum,
ligamentorum, tendonum, muscu-
lorum, & ossium quæ in his repe-
riuntur, simul compacta & vnta, ad articulatio-
nem complendam & perficiendam; quæ omnia in
vulneribus eiusmodi, alterationem & morbum
patiuntur, ex sympathia, & vicinitate loci vul-
nerati: et si aliquando omnes illæ simul vulneren-
tur partes, propter magnitudinem vulneris, quod
cum ita fit, partes vulneratae reisciendæ, & tol-
lendæ sunt, vt si ossa fracta sint, reiscienda sunt, si
nerui contusi valde, & scissi, scindendi omnino
sunt, & à vulnere alia omnia extranea reiscienda
veniunt. Antequam curatione illius aggrediamur
reiectis his omnibus, ad sanguinis missionem deue-
niendum est, & ad topica statim remedia recurren-
dum, & vt vulnus compositum est, sic & composita

requirit balsama ut curationem debitam habeat. Sed antequam imponas balsama agglutinaria, applicandum est vulneri recenti emplastrum astrin- gens & refrigerans, compositum ex croco martis, farina furua, aut farina hordei, aqua plantaginis, albumine ouii, omnia permiscenda sunt in forma cataplasmati, & frigidè vulneri recenti applicanda, ut inflammationem arceant, & sanguinem si- stant: deinde duodecim transactis horis auferenda sunt, & vulnus aqua frigida lauadum, & abstergen- dum ab omnibus sordibus, & balsamis prædictis superioribus in capitulo perungendum: vel si Chirurgus non habent hæc balsama potest vti simili balsamo donec alia habeat, quod cito sic præparatur. Sumendæ sunt quatuor, aut quinque li- bræ carnis arietinæ, aut vituli, aut bouis, & in frustula consindendæ sunt & vitro indendæ optimè clauso ne respiret, cum sequentibus herbis. 2. Aristolochiæ rotundæ radicis lib. 3. radicis symphyti maioris puluerati lib. 3. Florum hypericonis m. j. vini optimi lib. j. hæc omnia cum pulueribus Aristolochiæ & symphyti indenda sunt in phiala vitrea optimè clausa, & imponenda balneo mariæ bullienti, per quatuor horas: his transactis auferendum est vas illud vitreum quod continet ma- terias & dum adhuc calet, per inclinationem auferendus est liquor qui in eo continetur, cui adden- da est therebentina Veneta, ad quantitatem vncia- rum quatuor, & parum simul in scutella terreя ca- lefacere, ut simul vniantur, & vinum pedentim evaporetur, saltem pars aquosior: dum simul sunt vnitæ, & incorporata, asseruanda veniunt in bal- samum satis præstans in curandis prædictis vul-

SPAGYRICA. 103
neribus, optimo præscripto victus regimi-
ne.

CONCLVSIO SECTIONIS
SECUNDÆ.

- De Vulneribus.

CAPVT XIV. & VLT.

 I quid in hoc tractatu silentio
involutum sit , nec Asiatica
facundia, & longissimo eloquio
traductum , id de industria
fecimus ; non enim omnia qua perti-
nent ad Chirurgicam artem tradere vo-
luimus:quod multi sint & ferè infiniti Me-
dici , qui hoc egerunt : nos tantum in lu-
cem edere tentauimus ea qua alij num-
quam tractarunt , nec meminerunt , nisi
ænigmaticis circumlocutionibus , nulla me-
thodo , nec ordine vlo. Quod fecimus in
gratiam Alchymiae , vt eam notam omni-
bus si fieri potest faciamus , & honorem

juum, & laudem in tenebris detentam, &
incarceratam tandem in lucem educamus,
ut videant omnes Alchymiam veram esse
scientiam, fundamentis certis, & firmis
stabilitam, axiomatibus stipatam infalli-
bilibus, quibus Philosophia & Medicina
si decorerentur, præstantiores & nobiliores
multo sunt scientiae, quam dum commu-
nibus, & vulgaribus nituntur scholæ tri-
uialis præceptis. Prætermisi etiam ex in-
dustria in hoc tractatu, compositionem &
structuram partium vulneratarum, ut hinc
perciperentur differētiae carnis, membranæ,
& musculi, tendonis & nerui, ossis & car-
tilaginis, quænam ex primis nostris substan-
tijs, sale, sulphure, & Mercurio, prædo-
minium habeat, in compositione earum par-
tium, hæc omnia omisimus, quod Deo
dante (modò ille sufficiens mihi largiatur
æuum) in Physiologia Chymica (quam in lu-
cem breui editurus sum) fuse admodum
tractaturus sim. Quæ cognitio est valde ne-
cessaria Chirurgo, ut administrare queat

balsæma homogenea, & similia partibus vulneratis, ad agglutinationem & cicatricem laudatam accelerandam: nam partes carnosæ vulneratae, exigunt balsama & postulant medicamenta quibus prædominetur, Mercurij substantia & vitæ sulphur, cum caro his componatur prædominantibus substanijs; membranæ verò, venæ & arteriæ vulneratae, expostulant balsama, in quibus prædominentur, sulphur & sal: Cartilagineas verò, nerui & ossa requirunt balsama, quibus prædominetur sal, & præcipue in ossibus ruptis agglutinandis, quia in eorum compositionibus natura ipsa, sal copiosum naturale posuerit: in cartilaginibus verò, & neruis posuit sal copiosum, Ossa sal copiosum habent.

& Mercurium, & propter Mercurium flexibiles sunt, & transparentes nerui & cartilagineas. In omnibus balsamis in superioribus capitulis descriptis, & præscriptis, ad curanda vulnera, vniuersiusque partis, hunc ordinem & prædominium substantiarum, salis, sulphuris, & Mercurij obser-

uani , quod notum erit cuilibet Chymico,
sagaciūs intuenti . Præscripsi etiam balsama
vniuersalia, ad curationem omnium vulne-
rum , in quibus æquali lance libratæ sunt
substantiæ salis, sulphuris, & Mercurij; ita
ut etsi simplicia sint, ut sunt tinctura san-
guinis humani, balsamum carnis humanæ,
balsamum antimoniij, hæc tamen generales
habent virtutes propter temperatum , &
æquale harum substantiarum dominium in
eorum compositione.



SECTIO III.

DE VLCERIBVS

Q V I D S I T V L C V S
secundum Spagyricos
Medicos.

C A P V T I.

MEDICI Galemistæ, vlcus *Vlcus quid.*
 definiunt solutionem continui in parte carnosa cum pure & sanie: Spagyrici Medici verò vlcus definiunt, alterationem balsami naturalis, in parte carnosa, per solutionem continuo, qua sale naturæ alterato, & corruptio, fit, & producitur: dum enim sal naturalis balsami, per quamdam alterationem à suo naturali temperamento diffideret, acquirit statim vim corrodendi, & caustici potentialis facultatem, qua carnes, & reliqua cuncta

adurit, & separat ab unitate continui: immo & caries ipsius ossis, ab acrimonia & vrendi facultate, ipsius praedicti salis dependet, ita ut caries ipsius ossis nihil aliud sit quam solutio continui, in ipsa ossis substantia, ab ipso sale acri, & mordaci facta. Galenici Medici in definitione ipsius ulceris, nullam mentionem faciunt de hoc sale, nec devlla alia substantia huic homogenea simili, aut ali-

Pus & sa- qua ex parte correspondet: nam pus & sanies, quae
nies in ul- in ulceribus admittuntur ab illis, sunt balsamum
ceribus vitæ corruptum & in pus degeneratum, à sale
quid. acri & mordaci, quod corrodit & corruptit partes, quibus continetur balsamum, ita ut impossibile sit, has partes posse corruptere, quin & corruptat balsamum vitæ, his partibus contentum, quo balsamo, & partes ipsæ nutriuntur, conseruantur, fountur, & fiunt.

De Ulcerum causis.

C A P V T II.

*Ulcerum
causa.*



EDICCI Galenici constituunt causas ulcerum omnium, omnes humores in corpore contentos, qui calore naturali possunt acquirere aliquam corrodendi facultatem, quique ad cutem amandati, tamquam ad sentinam & commune totius corporis emunctorium, ibi suam exercent facultatem, partes corrodendo, & causticando, vnde genus omne ulcerum & differentiae prodeunt, secundum humorum diuersitatem,

ex quibus fiunt. Chymici Medici, humores non curantes, at tamquam vehicula quædam esse existimantes, quibus deportatur causa immediata & proxima omnium vlcerum, ideo nullam mentionem de humoribus faciunt in recensendis vlcerum causis; afferunt tantum vnicam esse causam vlcerum omnium, salem putà balsami naturalis, qui separatus à balsamo naturali, calore sui ipsius, aut alterius alicuius externi agentis, desiccatur & calcinatur, & in illa calcinatione acquirit vim solutionem faciendi, in partibus, in quibus ità dispositus & separatus reperitur; ità ut causa antecedens vlcerum omnium sit sal, quod reperitur in balsamo nostro naturali: causa verò coniuncta sit ipsum sal, qui reperitur in vlceribus ipsis & qui solutionem facit: hæc sunt causæ antecedentes internæ: dantur adhuc externæ antecedentes, quæ salem ipsum, tum vlceris ipsius, tum balsami nostri naturalis disponant ad quamdam desiccationem & calcinationem: has causas Spagyrici Medici ad astra & influentias retulerunt quæ possunt virtute sua ignea & astrali, salem disponere ad calcinationem, seu desiccationem, & coagulationem. Nam astra quæ prædominantur balsamo nostro, aliquando multiplicant salem, aliquando Mercurium, aliquando sulphur, ità ut quæ multiplicant salem, sint ipsa quæ possunt multiplicatione sui ipsius, ipsummet salem coagulare, & desiccare, & ità solutionem continui facere in aliqua parte, in qua reperitur talis multiplicatio, salisque desiccatio: hæc ipsamēt astra, quæ in balsamo nostro multiplicant salem, possunt & in parte ipsa aliqua particulari, salem multiplicare,

ibique ipsum calcinare & desiccare , & ita disponere ipsum , ad solutionem continuitatis ipsius partis , & vlcus producere , & esse causa ipsius vlceris externa , coniuncta & proxima , vt videre est s̄epissimè in multis anni temporibus , in quibus vlcera prodeunt particularia in multis hominibus , & in vna tantum regione , & non in altera , quod dependere ab astris certissimum est; epidemicum enim omne , à cœlo est , hōcque vlceris genus difficile admodum curatu est , quod ut curetur , coniunctam causam tollere necesse est; astrum autem istud cum sit causa coniuncta , sublatu quād arduum est , & difficile , opus subtilissimi astronomi , & acutissimi & peritissimi physici est : nam ut tollatur hæc causa coniuncta , seu istud astrum , necesse est inuenire aliud astrū terrestre efficacissimum , quod & alterius astri , superiores virtutes & efficacias extinguere queat , aut impedire eius influentes virtutes , partem roborando , & vlcus cicatrizando reducto ad temperamentum debitum & naturale , balsamo ipsius vlceratae partis : alimenta etiam omnia , quæ sale mordaci , & acri abundant & scatent , vt sunt porri , allia , cœpæ , raphani , & salita omnia , vt carnes , & pisces omnes sale conditi , possunt esse causæ externæ antecedentes vlcerum : hinc fit ut omnes ferè Christiani post quadragesimale tempus , aduentante verno tempore , in quo humores bulliunt , & multiplicantur , seabiosi siant , quod toto illo tempore quadragesimali , pisces sale conditos ederint & multa alia salita , quæ salem ipsius balsami naturalis multiplicant , ipse verd multiplicatus & auctus , calore sui ipsius naturali & in-

nato coagulatur & desiccatur , & defertur ad cutem, ibique pruritum excitat corrodendo cutem , & sic producitur scabies & aliæ cutaneæ defœdationes.

Motus etiam violenti corporis nostri , dum ipsum saltu, cursu violento, & continuo agitamus, possunt recenserri inter easdem causas antecedentes externas vlicherum: nam ipsi motus possunt balsamum naturale suprà modum excalfacere , & dum hoc ità fit, si balsamum abundet sale acri & mordaci, amandatur per facultatem expultricem, in aliquam partem corporis , ibique desiccatur, & in sua desiccatione cutem corredit , & partem , & producit vlcus , secundum mordacitatem & acri-moniam ipsius salis in partem amandati.

Causæ vero coniunctæ externæ , apud Spagyricos Medicos , sunt omnes res, quæ exterius applicatæ partibus nostri corporis habent virtutem & efficaciam eas corrodendi , & earum continuitatem soluendi , vt sunt omnes aquæ fortes , & caustica potentialia , & herbæ quāmplurimæ , vt Ranunculus, flammula , scrophularia maior , & multæ aliæ , quibus mendici quāmplurimi, nebulones & perditæ, tibias & crura sua vlicherant & dilaniant, imo & caput suum tinea defœdant, vt eleemosynā & aliquid argenti & auri, & vietus ab auaris hominibus extorquere possint, quæ tamen vlcera sola vini lotione , quām citissimè curantur, quia succus plantæ vlicherantis eluitur , & tollitur qui est causa externa coniuncta , vnde pars cito suo innato balsamo curatur : Quod ità posset fieri in alijs naturalibus vlicheribus , si causæ antecedentes omnes , & externæ coniunctæ possent ità cito

tolli: hoc opus autem difficile admodum est medicamentis vulgaribus, & balsamis Spagyricis: hoc solum relinquitur possibile tincturæ Philosophorum, & balsamo Arabico vniuersali, quod cito temperet omnes humores.

De differentijs Ulcerum.

C A P V T I I I .

*Ulcerum
differentia.*

DIFFERENTIÆ ulcerum, apud Spagyricos Medicos desumuntur, aut ex causa eorum materiali & efficienti, quæ sal est, vel ex locis & partibus, quas ulcera occupant et infestant. Galenici vero desumunt differentias ex causis & symptomatibus omnibus quæ in ulceribus superueniunt, quas quidem differentias probant ut et Spagyrici: primas quidem tamquam suas, secundas vero tamquam externas et accidentales: quantum autem ad causas Chymicas attinet, audacter assero, esse adeo cognitu necessarias omni Chirurgo, ut si eas ignoret, non possit mereri nomen et titulum perfecti, et peritissimi Chirurgi; non enim ulcera omnia curare poterit, si causas eorum ignoret, quod remedia conuenientia et apta non possint excogitari ad curationem ulcerum, ignoratis eorum causis. Si sal verbi gratia alicuius particularis ulceris ignoretur, qua ratione poterit Chirurgus inuenire aliud sal, quod sit contrarium alteri sali ulcus causanti, ut ignem illius extinguat, & virtutem

virtutem corrosivam temperet, in quibus totus curandi cardo versatur: nam sicut in magno mundo sal tartari, salem aquæ fortis extinguit, & ita temperat, ut sine noxa villa potari queat aqua fortis, modo sal tartari in eam projiciatur; ita in patuo mundo, in homine putâ, sal tartari extinguet omnia vlcera, quæ fient à sale vitrioli, aut nitri, & sic de reliquis fiet, modo eorum antipathiam sciamus. Id non solùm in vlceribus cognoscere prodest; at etiam in calculo & arthritide, & alijs eiusmodi, quæ à sale balsami nostri fiunt: si cognoscas, stupendos prodes effectus: nam calculum & arthritidem certissimè curabis, si coagulationes & solutiones salis habeas notas; nam sal coagulatum à soluto disperditur, & solutum, à coagulato curatur: hoc sal reperi in corpore nostro nullo pacto ambigendum, cum vrinæ & lachrymæ per se satis ipsum testentur. Itaque nullo pacto etiam ambigendum est differentias omnes vlcerum ab eodem sale dependere: cum autem salis species in macrocosmo sit multiplex, multiplex etiā erit in microcosmo salis species, & proinde etiam erunt multiplices vlcerum differentiæ. Quod autem attinet ad differentias quas Chymici delimum ex locis affectis, non curant valde, quia essentiales non sunt differentiæ, noménque tantum vlceribus dant, & eatenus Chirurgo consilio sunt, ut ea vlcera curet & tractet, secundum temperamentum partis, quam occupat vlcus; nam vlcera capitis debent mitius tractari, vlceribus cruris & tibiæ, & sic de reliquis quibus semper consideranda est pars affecta, in cäque adhibere medicamenta competentia, & correspondentia

temperamento partis, ut eius robur, facultas, & balsamum ipsius partis in suo vigore quantum fieri possit, conseruetur.

De Diagnosticis & prognosticis signis ulcerum omnium.

C A P V T IV.



V E M A D M O D V M in macrocosmo, metalla quæ in subterraneis locis generantur, suæ generationis signa diagnostica in superficie terræ ostendunt, & ut arbores, lapides, & plantæ, imò & animalia ipsa signa apparentia præmonstrant suæ generationis, in quo cumque loco fiunt. Sic & vlcera in microcosmo dum fiunt, & producuntur, et si præter naturam sint, præmonstrant signa certissima suæ productionis, siue interna, aut externa fiat eorum generatio: nam vlcera Renum notantur vrinis turbulentis crassis, cum hypostasi multa, aliquando alba ut lac, & obscuro seu obtuso dolore in ipsa Renum regione; vlcæ vero vlcera indicatur vrinis acribus, mordacibus, cruentis, purulentis, furfuraceis atomis scatentibus, & fœtentibus, & dolore & partis pondere. Vlcera vero intestinorum præmonstrant dolor acutus, & magnus, pus & sanies in excrementis tertiarie coctionis. Pulmonum vero vlcera ostendunt tulpis, excreatio sanguinolenta vel purulenta, & fœtida, dolor obtusus in pectori, febricula. Capitis autem vlcera manifestant dolor continuus,

& magnus, capitis pondus, vigiliæ, putis & sanie egressio per aures, aut nares continua & frequens, cum frequenti sternutatione. Vlcera vero externa quæ in partium superficie adnascuntur satis manifesta sunt, adeo ut signa diagnostica non expostulent ut indicentur; sufficit enim oculus, ut percipientur. At ut in principio eorum ortus notentur qualia sint, difficile admodum est: non secus, ac in ortu alicuius arboris, aut plantæ arduum est, & difficile cognoscere quales arbores, & plantæ sint. Itaque ut cognoscantur vlcera quæcumque in ipsorum ortu imitandi sunt Medici Botannici, qui frequentissima arborum & plantarum ortus inspectione, tandem dum tantum pullulant plantæ, earum notitiam habent; sic & Chirurgi, pauperum hospitia frequentare debent, eorumque morbifica corpora tractare, ut vlcerum ortum individuum, & particularem notum & apertum habeant.

Prognostica verò signa vlcerum internorum, difficultia admodum sunt, nihilominus si Chirurgus spectet eorum symptomata, an magna sint: si pus copiosum & sanies per emunctoria egreditur: si vlceratus debilis sit, & in dies debilitetur, & macrœseat, si discoloratus, & facie Hippocratica, si cacochymus sit, si febre laboret acuta, & magna, conclamatum erit certissimè, de salute ipsius ægrotantis: si verò contrà, vlcere affectus febre non laboret, & in dies eius vires valeant, & calore viuifero, seu rosaceo eius facies tingatur, & levissima sint reliqua symptomata, sperandum erit de salute ipsius vlcerati.

Externorum autem vlcerum prognostica signa.

desumuntur ex profunditate ulceris, ex colore liuido, ex figura rotunda, ex colore plumbeo ipsius ægrotantis, ex febre, ex macie corporis universalis, ex causticante, & corrodente humore, qui ex ulcere effluit: hæc omnia signa simul sumpta, testantur ulcera maligna cacoëthea, & curatu difficultia; imò & aliquando impossibilia in nonnullis, nisi magnâ illâ & numquam satis laudatâ Chymicorum unica & sola Medicinâ, quam tincturam fixam dicunt, & Elixir. Ulcera vero quæ sunt cum pure albo digesto & cocto, sine fætore magno, & sine magnis symptomatis, quæque ulceratum nullo liuido colore defœdant, ea omnia ulcera curatu facilita sunt, & speratae salutis: de quibus adhuc in Capitulis subsequentibus in particuliari dicemus.

De Ulceribus internis Capitis.

C A P V T V.



EREBRVM & caput hominis, cùm sit pars suprema partium omnium humani corporis, & sit figuræ rotundæ, suscipit in se omnes vapores, qui sursum feruntur, ex partibus infernis: hi autem vapores sunt tenuissimæ Mercurij viræ partes aquosæ, & humidæ, quæ dum spiritu salis denudantur omni, numquam cerebrum caputque offendunt: at sine noxa per emunctoria communia foras pelluntur à facultate expultrice: si vero

detineatur, porique maiores & minores impleantur illo aquoso humore, apoplexia tentatur caput, & similibus morbis frigidis & aquosis, si vero humores illi, qui sursum feruntur ad caput, salis spiritu copioso turgeant, adharent aliquando membranis seu meningibus ipsius cerebri, & partibus alijs interioribus ipsius capitinis, in hisque coagulatur ipse salis spiritus, & desiccatur, & sua innata facultate corredit partes, & inflamat, & sic vlcera interna produceit. Itaque cum aliquem innenimus, qui conqueritur de dolore fixo, & permanenti alicuius partis capitinis, cum pondere & cum purulento muco, aut cum excremento auris purulento & fœtido, & copioso, & sanioso, tunc temporis suspicandum est, de vlcere interno capitinis, quod hac methodo curare poteris. Imprimis obseruata ægrotantis ætate, viribus, & temperamento, regione, & tempore, mittes sanguinem ex cephalica lateris dolentis ad sufficientem quantitatem, & deinde purgandus est ægrotus, puluerre Catholico antimonii superius descripto, & ter aut quater repetenda est purgatio, interpositis duobus aut tribus diebus, ab una purgatione ad alteram: purgato corpore, per quindecim dies sumenda est hæc potio vulnerea, summo mane ieiuno ventriculo, superdormiendo si fieri possit. 2. succi limonum aut malorum aurantiorum recentis 3. j. Aquæ cinnamomi 3. fl. balsami sanguinis humani, aut carnis humanæ, aut Antimonii 3. j. olei sacchari 3. fl. misce fiat potio, detur mane seruato regimine prescripto. Interim donec curetur affectus cibandus ægrotus alimentis eucchymis, & facilis digestionis, & vinum aqua tem-

peratum & dilutum potandum est, & parcè admodum cibandum est, ne vaporess copiosi ad caput sursum ascendant, somnusque omni arte conciliandus, & quies summa. Aqua stillatitia radicis recentis Aristolochiae rotundæ plurimum confert, ea ipsa aqua potest vinum dilui: tinctura etiam Aristolochiae rotundæ naribus & auribus inspirata, & instillata, aut per vapores assumpta confert ad eamdem curam: pars etiam quæ dolet maximè, pilis denudanda est, & balsamis prædictis perungenda, ut per poros cranij vaporatim aliquid eius medicamenti subtilissimi ad vlcus penetrare queat.

Quod si post quindecim dies non cesset affectus, permanentibus in vigore suo symptomatis omnibus, deueniendum est ad aperturam ipsius cranij, beneficio trapani: aperiendum autem est cranium in parte ipsius doloris, suturas euitando: aperito cranio, balsamo antimonii, aut balsamo carnis humanæ, aut sanguinis, aut alijs similibus compositis balsamis superioribus in capitulis descriptis, perungenda sunt linteamina delicata & tenuia, & vulneri seu cranij aperturæ superponenda, & bis quotidie mutanda, obseruato eodem regimine & custodia, anteà præscripta, donec curatum si vlcus omni ex parte.

De Vlceribus internis pectoris.

C A P V T VI.

RECTVS & eius partes internæ, cùm
nutriantur balsamo naturali quod sale
conditur, quod quidem cum aliquan-
do, & in nonnullis hominibus særissi-
me turget, & calcinetur, suomet calore naturali
tunc temporis vlcera, vt in reliquis corporis hu-
mani partibus excitat, & producit, quorum diffe-
rentiæ dependent ex specie salis vlcus efficientis,
aut ex eiusdem diuersa calcinatione seu desicca-
tione: dignoscuntur autem vlcera pectoris, tussi
continua & frequenti quæ ægrotos diseruiat,
cum pure & sanic simul permixtis, ab vlcere pro-
manantibus, cum dolore paruo & pondere totius
pectoris, & febre lenta, & continua, quæ depen-
det ex communicatione inflammationis partium
vleratarum cum proximo corde, quod dum in-
flammatur, cæteris corporis vniuersi partibus, fe-
brem suam illico communicat. Rubedo maxima
in genis appetet, quod ramus venæ azigos, qui
toto pectore extendit, inflammetur per com-
municationem partis vleratae.

Methodus curandi hæc vlcera, est viðus regi-
men humectans & refrigerans radicaliter, vt vitæ
Mercurius multiplicetur, qui salis acrimoniam
temperabit, & eum dissoluet, & à sua siccitate &
calcinatione priuabit, vnde lac humanum, asini-

num & similia laeticinia conferunt valde hisce
ulceribus curandis, quod humido polleant & tur-
geant radicali, quo reficitur & restauratur Mer-
curius vitae, seu humidum radicale deperditum,
tum à calore præter naturam febris ab ulcere pro-
manantis, tum à sale ipso desiccato, & calcinato,
ulceris causa & materia. Balnea etiam aquæ dul-
cis tepidæ, valde prosunt, quia sua abundantia hu-
miditate per poros corporis penetrant, & sal ip-
sum dissoluunt, & eius acrimoniam temperant.
Arcanum autem & secretum tutissimum, & cer-
tum curandi hoc ulcus, consistit in potionē fre-
quenti, & continua alicuius humidi radicalis, ali-
cuius mineralis, aut metalli, modo purum putum
illud humidum radicale habeas, omni acrimonia
denudatum. Oleum commune vitrioli modo dul-
coretur rectificando ipsum super limaturam chalybis,
arcanum est mirum in curatione huius ul-
ceris, & totius morbi, permiscendo ipsum oleum,
ad quantitatem 3. b. cum 3. vj. lactis humani, per
mensem continuando potionem: balsamum etiam
sulphuris, seu tincturam eius extractam beneficio
spiritus vini, ex spiritu therebentinæ, qui secum
habet flores sulphuris dissolutos, eius inquam
tincturam, in oleum distillatione conuersam, val-
de etiam conferre assetimus: oleum etiam margar-
itarum: at omnibus præstant medicamentis olea
seu balsama metallorum dulcia, quæ non solum
ulcera hæc ad laudatam cicatricem conducunt, sed
etiam humidum radicale totius corporis deperdi-
tum restaurant, & reponunt, & salem balsami na-
turalis calcinatum & desiccatum dissoluunt, &
temperant, & ad suum naturalem statum, & tem-

peramentum deducunt, in quibus vera consistit cura horum ulcerum, & hectice febris, quam ariduram humani corporis dicunt Medici Spagyrici. Hæc medicamenta omnia, in myrothecio descripta sunt, suis peculiaribus Capitulis.

De Ulceribus internis ventris.

C A P V T VII.

VENTRIS ulceræ producuntur, ab vni- *De ulceri-*
ca & eadem causa, à qua reliqua causan- *bus internis*
tur ulceræ; nam sal balsami naturalis, *veniris.*
est causa ulcerum omnium, quæ in cor-
pore humano oriri possunt; & si diuersa sint &
contraria, illa diuersitas dependet, non ex causa:
at ex diuersitate subiecti, & partiū in quibus sunt
ulceræ, quæ partes, cùm diuersae sint, & contra-
riæ, operationem causæ variant & mutant, cau-
samque materialem diuersificant & variant, cau-
sæque etiam vniuocæ, secundum subiectorum di-
uersitatem, diuersos producunt effectus. Nihil o-
minus cura horum ulcerum, quamvis methodum
habeat diuersam habita ratione partium affecta-
rum, vñica & eadem est, scopum enim habet vni-
cum & eundem, putà temperiem salis, & dulce-
dinem.

Intestina ergo, & omnes aliæ partes, quæ in
capacitate ventris coëcentur, possunt calcinatio-
nem & desiccationem salis balsami naturalis pa-
ti, & eatenus ulcerum omnium multiplices diffe-
rentias, euratu admodum difficiles, quod venter

sit centrum totius corporis, in quod, veluti in sentinam quamdam, & cloacam, excrements omnium humorum demandantur, & deferuntur, & præcipue salis excrements, quæ vesicæ continentur, & ni partes omnes illæ ventris, humidæ admodum essent, ulceratæ semper fierent à copioso salis excremente, quod in his partibus continetur, at humiditas harum copiosa partium, salem dissolutum continet, & eius acrimoniam coërcet & temperat, ne partes quas tangit ulceret. Ad curanda ergo hæc ulcera, imitanda est natura, quæ cum has partes humidas naturaliter habeat, humidas etiam conseruandas oportet, tum regimine viatus humido, & refrigeranti, tum balneis tepidis aquæ dulcis: deinde præscripto regimine, possunt adhiberi medicamenta cicatrizantia, & desiccantia ipsum ulcerus, ut sunt crocus martis, eius tinctura, & oleum: sal dulce & volatile, quod varjis distillationibus & putrefactionibus ex aqua communi elicetur, est absolutum & completum remedium horum ulcerum: oleum ceræ etiam mirum est, in curandis omnibus hisce ulceribus, quod ad quantitatem dragmæ vnius, cum iusculis potest permisceri.

Si vero ulcera sint in intestinis, hæc medicamenta omnia possunt per clysteres, & enemata carminativa, & anodyna in intestina deferri, & deportari veluti hoc enemate quod plurimæ est efficaciæ, in curandis deploratis dysenterijs. 2. Muscilaginis semenis cydoniorum, aquæ rosaceæ aut plantaginis extractæ ib. j. butyri recentis 3. vj. olei ceræ 3. j. croci martis 3. s. mumiæ vitæ 3. j. misce fiat elyستر inijsciatur tepide bis in die, serò & manè. In my-

rothecio habes hęc omnia medicamenta clarissimis
descripta verbis.

De Viceribus ex influxu astrorum.

C A P V T V I I I .

V M vlcera reponantur in morborum *De Viceribus*
numero , secundum omnes Medicos , *bubus ex in-*
nullo pacto ambigendum quin & ab fluxu astro-
astris causari & produci possint : bubo-
nes, carbunculi & dysenterie sacerissime
ab astris excitantur, in hac misericordia valle. Quo-
modo verò & qua occulta rerum efficacia , id effi-
ciantur , demonstrandum venit. Certo certius
est, omnes & quascumque mundi partes, esse ipsi
mundo utiles , & nihil in rerum natura inutile
posse reperiri, ita ut partes omnes huiusc mundi,
inter se inuisibili catena vinciantur , & una egeat
alterius ope , ad sui conseruationem. Vita quæ
omnibus rebus inferioribus communicatur eget
vita superiori, hoc est cœlesti vita, calore putà cœ-
lesti, ut conseruetur: hinc cœli habere eamdem ma-
teriam radicalem , & substantiam cum substanci-
tia sublunarium rerum certum est : differentem
ramen & diuersam , ab ipsa nostra substantia , ra-
tione accidentium, quæ in cœlo permanentia sunt,
& incorruptibilia , nobis verò caduca , & muta-
tioni obnoxia. Hæc substantia cœlestis permanens,
& incorruptibilis, est luminis plena : hoc verò lu-
men nihil aliud est , quam' vita, & hæc vita, nil nisi

Vita quæ...

calor. Sublunaria quæque in centro suo scintillas aliquas huiusc luminis obtinet, quibus viuunt & subsistunt. Nihilominus tamen adeò excrementis, & tenebris multis obruitur, vt nisi indefiniti fluxu & refluxu cœlestis luminis, foueatur & conseruetur, illico extinguitur & pereat: descendit autem in hæc inferiora hoc lumen, seu vita cœlestis, per radios cœlestes, qui per totum aëris spatium sparguntur, & illi communicant vitam hanc è cœlo expirabilem, vnde nos & viuentia cuncta aëre indigemus, sine quo ne momento quidem subsistere possumus. Calor ergo hic cœlestis, lumen seu vita, quæ nobis aëris medio, è cœlo descendens communicatur, est similis & homogena radicaliter & substantialiter nostræ substantiæ qua viuimus, alioquin esset incommuniabilis, & nullo paëto vitæ nostræ competeteret. Si ergo similis sit substantia, necesse est ut componatur tribus primis substantijs, sale, sulphure, & Mercurio, vt & nostra substantia, seu balsamum nostrum, quo viuimus componitur: at in cœlesti lamine seu calore vitali, hæc primæ substantiæ, sal, sulphur & Mercurius, adeò subtile sunt & spirituales, vt nisi inter descensum elementis misceantur, & aëris corpus induant, nobis permisceri nequeant: ideo Deus & natura elementa constituit, vt hæc substantia puro elementorum aëro corpori permisceretur, & ita nostro iungeretur balsamo, inspirationis & transpirationis ope, qua vtuntur viuentia cuncta, & reliqua omnia quæ subsistunt: aërea enim illa vitalis substantia, spiritu cœlesti seu lumine plena, cum admodum subtilis sit, & penetrans, omniaque corpora sublu-

Vita qua
ratione è
cœlo descen-
dat.

naria porosa sint , quibus transpirant , adeò per
poros illos se insinuat illa substantia , & iungitur
substantiæ radicali mixtorum omnium , ad sui con-
seruationem . Addam & ego quod inter has sub-
stantias insit magnetica quædam virtus , & occul-
tus amor , quo inuicem vinciuntur , & se trahunt
vt suis ipsis potiantur amplexibus : hinc sympathia
& antipathia rerum omnium dependet , vt in Pal-
ladio nostro docuimus . Hæc refocillatio seu fatus *Sanitas vn-*
exterior & interior ope aëris spiritu cœlesti pleni de-
factus , gradus , proportiones , & qualitates balsami
nostræ , & temperamentum obseruat , et quamdiu
æquatur nostro balsamo , tamdiu sanè viuimus ;
cum verò hæc substantia cœlestis inæqualis est
nistro balsamo , ita vt sulphur , Mercurius , aut sal ,
prædominium habeant , aut aliqua inficiantur ma-
ligna qualitate , & sic harmoniam non obseruet ,
cum nostro balsamo , necesse vt nos male habe-
mus , & ægrotet corpus , quod tali balsamo viuit .
Itaque si sale redundet , planetarum & corporum
cœlestium aspectu , quæ radijs suis huic substan-
tiæ vitali , seu lumini (quod Chymici omnes , spi-
ritum mundi dicunt) infundunt suam peculiarem
naturam & vim , præpotentem quidem , & magnam
pondere & mensura , adeò vt pondere isto præter
naturam , in spiritu mundi constituto , actiones
eius peruertantur , & vitalibus contrariant , et ad-
uersentur facultatibus , cum tamen omnia dulci
harmonia et connexione trium primarum substan-
tiarum vitæ admodum nostræ competenter , ne-
cessitatem est vt fiant morbi varij , secundum varias bal-
sami nostri alterationes , ab spiritu mundi factas et
causatas . Si spiritus salis cœlestis prædominetur

*Sympathia
antipathia
unde.*

spiritui mundi, seu humido radicali, quo viuimus & humidum nostrum fouetur et conseruatur : si prædominetur inquam influxu Saturni, et Martis, qui potissimum salem in omnibus rebus multiplicant, hic spiritus sale Saturni & Martis imprægnatus, et turgens, si nostro humido quo viuimus iungatur, et connectatur, salem nostri balsami multiplicabit, & qualitates suas omnes malignas, aut benignas, in ipsum balsamum immittet : turgens vero sal sua siccitate, humidum omne bibet, & sic calcinabitur et corrosionem et acres mordacesque qualitates adipiscetur, & sic ulceravaria, secundum malignas, aut benignas & varias omnes Saturni, et Martis qualitates, in corpore nostro constituet, et producet, sic fiunt ulcera ab astris in nostro corpore. Quod difficile admodum fuisset intellectu, nisi prædicta omnia latissimè explicasset : obscurius enim quam par sit, dictum fuisset, si tantum dixisset : spiritum mundi, ex astris factum & conflatum, eorumque qualitatibus seu influxibus malignis, aut benignis imprægnatum, nostro balsamo iunctum, constituere ulcera omnia quæ in corpore humano solent ori- ri, ni latius explicasset conformitatem & homogeneitatem substantiarum cœlestis, et nostrarum, ex descensu spirituorum substantiarum cœlestis quæ ex astris omnibus, tamquam ex perenni fonte dimanat, ut iungatur nostrarum substantiarum, eamque foueat & nutritiat, & in ista connexione, fotu, et nutritione, si spiritus mundi, qui è cœlo descendit, maligna aliqua qualitate inficiatur, eadem ipsamet qualitate qua ipsa inficitur, inficit etiam & nostrum quo viuimus spiritum, ex qua infectione dependent

morbi omnes, qui fiunt ex astris, quorum curam fieri impossibile est, dum astra quæ inficiunt spiritum mundi vigent & pollent sua inficiendi potestate. Linquenda est aliquamdiu cura, donec influxus malignus transierit, & mutatus fuerit, & interim membro vlerato succurrendum balsamis externis, vigorantibus et roborantibus internum membra balsamum, ut resistere queat spiritui mundi, astrorum maligno aspectu infecto, ne dum viget & iungitur nostro, valeat nostrum peruertere, et suis qualitatibus inficere, quod præstare valde arduum est, et Medico summo & peritissimo dignum; nam paucissimi sunt, imò nulli, qui hæc omnia cogitent. Cùm ergo in aliquod vlcus incurabile incides, quod spernit medicamenta balsamica interius sumpta, & exterius applicata curandi capacia, certum tibi sit, & notissimum, constellationem quandam, quæ huic vlereri prædominatur, curationem illius retardare, & impeditre, quod causas eiusdem vleris materiales & efficientes, foueat et multiplicet. Itaque omnis cura adhibenda est, ut planeta talis seu constellatio nobis nota sit, & postquam cognouerimus ipsam, querenda est constellatio quedam terrestris, hoc est mixtum quoddam, quod correspondeat cœlesti constellationi vlcus causanti, in cuius balsamo, seu interna eius essentia, consistet absoluta vleris huius cura. Ut verbi gratia detur homo temperamenti melancholici, nigri capillitij, nigræque faciei, taciturni eloquij, & rati, incessusque grauis, qui cancro aliquo maligno afficiatur, in aliqua sui corporis parte. Saturnus absque dubio erit planeta dominans, & infun-

dens suam malignitatem tali ulceri, & eius curam retardabit & impediet, itaque Medicus prudens & doctus, recurret ad plumbum quod est Saturnus terrestris, & correspondet omnino Saturno cœlesti, eiusque malignitatem temperat & frenat; itaque elicto oleo seu balsamo dulci ex eius substantia, curam certissimè absoluere huius cancri, & maligni saturnini ulceris; vel confugiet tamquam ad sacratissimam anchoram & tutissimam, ad balsamum auti seu solis, qui correspondet omnino soli cœlesti & habet homogeneas virtutes & efficacias: nam sicut sol cœlestis suo aspectu & coniunctione refrigerat, & temperat suo benigno lumine & vitali omnes planetarum malignos effectus, et influxus; sic & aurum suo benignissimo & vitali nectare, omnes qualescumque sint humorum malignos affectus, astrorum spiritibus impregnatos, moderat & lenit: sic aurum potabile, verum & legitimum, non fucatum nec putabile, curabit omnes internos, et externos affectus.

*Remedium
omnium
morborum
quale.*

Primum, verum, legitimum & potabile aurum, est Elixir Arabicum, seu lapis Philosophorum antiquorum, cuius qui habent notitiam Dij potius haberiri merentur quam homines; haec enim cognitio Angelos potius decet, et Deum, quam homines: Paratur autem ex antiquorum omnium Philosophorum qui hunc lapidem viderunt, et fecerunt sententia, ex humido interno radicali metallorum, quod & Mercurius dicitur, cuius essentia seu liquor perennis, terrestrem quamdam substantiam fixam continet, quæ eius aurum & sulphur dicitur, quæ quidem substantia terrestris in suo humido cocta, putrefacta, et ad puram substantiam redacta,

redacta, verum est aurum potabile antiquorum cuius ope, vita in nostris corporibus inuitis morbis cunctis retineri potest, & multiplicari, & iuuentus conseruari in suo vigore, de cuius virtute, & operatione, eiusque compositione totum Palladium nostrum refertum est, & adhuc Deo faveente, Panchymicum in lucem dabimus, quod lucem adhuc maiorem & ampliorem de eius compositione Chymicis omnibus dabit.

Sunt tamen & aliae auri essentiae, seu tinturæ, quæ eliciuntur ex auro communi, quæ auri potabilis nomen, falso apud vulgus Chymicorum sibi vendicant, quæ quidem magni sunt momenti ad curam omnium morborum, non tamen sunt aurum potabile antiquerum; in dō quid multò vilius: non tamen ego eas reprobo auri essentias, at magni facio, & præcipue essentias has, quæ parantur ex auro communi calcinato, & soluto in spiritu salis communis, à phlegmate suo vindicato, vel auro tonanti soluto, in eodem spiritu salis, vel ex auro communi foliato, cum oleo vitrioli rectificato, & à suo phlegmate depurato, cum illo enim oleo per digestionem satis leuem tintura rubicundissima ex auro elicetur, quæ magni est valoris in ylceris cuiuscumque curatione modò dulcoretur ex infusione limaturæ chalybis in ipsum oleum vitrioli, quæ limatura eius tinturam multiplicat, & cicatrizandi virtutes.

De Ulceribus Simplicibus.

C A P V T I X.

*De Ulceribus sim-
plicibus.*



EDICI Spagyrici vlcus dicunt simplex , quod causatur à sale simpliciter corrosio, nulla alia maligna qualitate prædicto : nec vlcus vlo alio symptomate circumuolutum. Vlcera hæc simplicia proueniunt ex sale balsami naturalis abundantí , qui copia sua desiccatur & coagulatur suomet naturali calore cumque coagulatus est , & desiccatus , ab harmonia & temperamento reliquarum duarum substantiarum sulphuris putà & Mercurij balsamum naturale constituentium , separatur & disiungitur , & à facultate naturali expultrice amandatur in aliquam corporis partem , ibique magis ac magis desiccatur & calcinatur , & sic corrosionem acquirit & ulcerat partem , in quam amandatur , simplici vlcere , si sal nulla alia maligna qualitate , quam simplici corrosione afficiatur. In omnibus corporis partibus . Hæc vlcera simplicia possunt oriri , quia in omnibus partibus , tam internis quam externis potest sal superabundare , & calcinari suomet calore : hinc oriuntur omnes herpetes , serpientes , scabiosa lues , & cæteræ simplices cutaneæ excoriations , quando sal naturale balsami nostri abundans , eius subtilissima pars sublimatur ad cutem , ibique desiccatur , pruritum excitando , & pendentim cutem excoriando , cum

aliqua carnis subiacentis parte. Quod si sal sit fixior, & crassior, profundè magis ulcerat, non tamen facit differentiam ulceris simplicis, modo nullis alijs qualitatibus, quam simplici corrosione partes afficiat, nec proinde methodum curandi mutant, sed iisdem & similibus omnino balsamis, & medicaminibus curari poslunt. In primis obseruandum est in eorum cura, ut alius expurgetur crassioribus excrementis, ut sal & tartarus à natura in locis segregatus & depositus expurgetur: Expurgata alio, deueniendum est ad phlebotomiam, vt misso sanguine calor naturalis temperetur, & balsamum naturale frigidius multo quam anteà reddatur, & ita sal quod inibi latet, abundans, non desiccat & coaguletur, utpote frigidore facto balsamo, quod frigiditate sua & humore, salis caliditatem & siccitatem temperabit eiusque acrimoniam vincet: præscripto deinde viatus regimine humectante & refrigerante, balsamum adhuc frigidius reddetur, & sic salis acrimoniam fortius vices, & dissolutum intrà limites sui temperamenti contrinebit; si enim tale permaneat impossibile est, ut ulcera vlla producat & constituat. Usus lactis, & seri lactis maximè confert ad hanc rem obtinendam, balnea etiam aquæ duliois tepidæ plurimum conferunt ad acrimoniā salis balsami naturalis contemperandam. Purgationes vero minimo sunt, & debent esse in usu, quia calciant naturale balsamum & calorrem augent præter naturam in corpore humano, beneficio cuius sèpius qui scabiosi sunt, scabiosores euadunt, quod calor præter naturam auctus, in corpore desiccat & calcinet sal corporis, & amarum

det in superficiem cutis, ibique scabiem producit: confert tamen hac in parte aluum habere fluidam, & laxam: at id procurandum est clysteribus emollientibus, & prunis dulcibus in cœna sumptis ante omnes alias cibos. Postquam hæc omnia facta fuerint, balsamum sulphuris sufficit ad vlcuscula illa cutanea curanda, aut aqua sclopetaria, vel aqua in qua cuprum candens sæpiissimè extinctum fuerit, vel viride æris ebullierit, de qua aqua laudandum est sæpè in die vlcus.

De Vlceribus complicatis.

C A P V T X.

De Vlceribus complicatis.



OMPLICATA vlcera differunt toto cœlo à simplicibus, secundum Medicorum Spagyricorum sententiam, beneficio symptomatum quæ à sale causantur, dum præter simplicem calcinationem, & corrodendi facultatem malignis quibusdam qualitatibus astralibus, aut alijs afficiuntur, quæ inficiunt vleera, & complicata cōstituunt multis varijsque symptomatis, vt inflammatione maxima, tumore magno, duritie maxima, sanguinis seu balsami naturalis fluxu, fœtor & dolor maximus, & partis vlceratæ torpor, & multa alia symptomata quæ immedietè non dependent, à corrosione ipsius salis vlcus causantis, sed ab intemperie quadam maligna ipsius salis quæ trahit in intemperiem aliam, Mercurium & sulphur, duas alias substantias balsamum naturale consti-

tuentes, quæ quidem dum intemperatæ sunt, aut corruptæ, varia symptomata vñà cum sale, in vlceribus constituunt, & sic complicata oriuntur vlcera: ex eodemque sale simplici possunt etiam oriri vlcera complicata, quia in ipso sale simplici, possunt ab astris, & ab alijs causis procatharticis introduci aliæ qualitates, præter simplicem corrosionem, vt sunt omnia enumerata symptomata.

Itaque vlcerum omnium complicatorum causæ coniunctæ, & materiales sunt sulphur, Mercurius & sal; sal autem est causa principalis & prima-ria, quia ab hac sola causa, sulphur & Mercurius fiunt aliæ duæ causæ: nam à sale corrumpuntur & alterantur, ita vt vñà cum sale iungantur in per-niciem vlceratæ partis, omniaque symptomata supradicta, quæ complicata constituunt vleera de-pendent ex his prædictis causis alteratis & cor-punktis.

Vt verbi gratia, inflammations quæ sunt in vlceribus complicatis, ex alteratione sulphuris bal-sami naturalis dependent: inflammatur autem sulphur & excandescit ex nimia corrosione par-tis quam sulphur nutrit, & fouet in suo esse natu-rali; non potest enim pati solutionem continui ve-hementem, & aerem, quin excandescat partis sulphur: Tumor autem magnus & excessiuus in vlceribus complicatis dependet ex abundantí Mer-curio, qui affluit parti, tum ad sedandam inflam-mationem & compescendum ignem, tum ad mo-derandam salis acrimoniam ne corrodea partem affecta-ram, ibique in molem accrescit, & aliquando concrescit ab spiritu salis copioso, in lapideos me-

dulos, vnde duri & callosi sunt tumores: fluxus
verò sanguinis & balsami naturalis fit, ex partis
venis (quæ sunt in parte affecta) à sale corrosis,
vnde etiam & dolor dependet. Torpor verò & fœtus
maximus qui aliquando & sèpius reperiuntur
in ulceribus, sunt à sulphure corrupto & alterato,
quod dum priuatur spiritu vitali, atram redol-
let memphytim, & partem sensu priuat, sua nar-
cistica substantia.

Curantur autem hæc omnia symptomata, &
eorum causæ tolluntur sequenti methodo. In
primis deueniendum est ad regimen victus refri-
gerans & humectans, vt salis acrimonia tempe-
retur, & mutetur totus corporis habitus: deinde
ad phlebotomiam, & balnea aquæ dulcis tepidæ,
ad eundem scopum attingendum: Sic enim cau-
ſæ antecedentes ulcerum complicatorum tollen-
tur. His sublatis causis, ad topica deueniendum
remedia, vt pote, ad inflammationem tollendam
vtendum est butyro saturni, superius descripto,
vel sulphure vitrioli, quod in eius dissolutione col-
ligitur in forma spumæ deauratæ, quæ spatula li-
gnea colligitur, & cum albumine oui cogitur, &
ulceribus inflammatis superimponitur, vel ex spi-
ritu narcoticō vitrioli, qui ex eodem vitriolo cal-
cinato & spiritu vini simul mixtis, & in vitro clau-
so, per mensem putrefactis separatur: hic spiritus
mirum est arcanum ad inflammationes omnes se-
dandas, & dolores omnes, non solùm ulcerum,
sed etiam arthritidis ipsius: aquæ etiam quæ eli-
ciuntur per distillationem ex alumine, & ex oleo
vitrioli, quod putret & fœtus maximè, miram ha-
bent efficaciam in sedandis doloribus & inflam-

mationibus vlcerum omnium.

Durities vero & callositas curantur spiritu salis communis , permixto cum oleo vitellorum ouorum , vel cum oleo ceræ rectificato , vel cum oleo Philosophorum seu laterino ; foetor verò tollitur cum balsamo Aristolochiæ rotundæ , ex lotione eiusdem Aristolochiæ tinteturæ , aut ex spiritu salis . Torpor vero curatur , ex lotione vleceris cum oleo tartari , & spiritu vini , simul permixtis : deinde perungenda sunt vlcera oleo roris marini , aut saluæ , aut petroleo naturali .

Curatunt autem hæc omnia symptomata quamvis varia sint & à diuersis causis dependeant , vnico balsamo , auro scilicet potabili superius descripto , quod non est , quid putabile & fictitium , ut quidam Medicorum nomine tenus , faleissimè putant , & nimis stultè : nam quod ego ipse vidi & multoties feci , fideliter testari possum , præter rationes naturales , quæ possunt omnibus doctis viris , hanc naturæ potestatem & facultatem ostendere facilem : at multi sunt adeò stulti , vt putent impossibile omne , quod ipsi nesciunt : quasi vero omnis naturæ potestas , eorum coérceatur cerebro . Itaque ego iterum affero vlcera omnia posse curari auro potabili supradicto : arcanum etiam sanguinis humani , quod docuimus in myrothecio nostro , vires huius auri potabilis æmulaturum , maximi est momenti in curandis omnibus cutaneis affectibus : hæc sola medicamenta merentur , vt Chirurgi omnes , assidue in pyxide aurea gestent , & non putrida illa quæ vulgariter solent afferri .

De Ulceribus ex defluxione.

C A P Y T X I.

*De Ulceri-
bus ex de-
fluxione.*



L C E R A quæ dependent ex defluxu humorum, dicuntur à Chymicis fontanea vlcera, quod hæc vlcera imitentur fontium scaturigines in macrocosmo: nam cum homo microcosmus dicatur, & compendium totius naturæ, debet aliquid reperiri in homine, quod respon-
Fontes unde deat fontibus macrocosmi. Fontes autem in ma-
fiant in ma- crocosmo dependent ex humiditatibus superfluis
crocosmo. quæ in terræ cavitatibus & poris eius magnis &
 paruis reperiuntur, quæ impetu quodam ad super-
 ficiem terræ pelluntur ab spiritu mundi, qui per-
 petuo ad generationem rerum omnium terræ po-
 ros permeat omnes: hæc autem humiditates super-
 fluæ occludunt poros terræ, & claudunt, adeo ut
 spiritus huius mundi quotidianus & assiduus im-
 pediat aditus, & commune commercium. Ita-
 que illa occlusione crescit spiritus, & multiplicat-
 ur donec sufficiens sit, ut cum violentia pellat il-
 las humiditates superfluas ad terræ superficiem, ex
 quibus sunt fontes varij qui fluxus & refluxus,
 habent, ut in Palladio nostro clarius ostendimus:
 sic & in homine fieri solet; nam humiditates su-
 perfluæ seu serositates, ut aiunt Galenistæ, dum à
 balsamo naturali separantur, & à facultate expul-
 trice foras amandantur, pellente spiritu vitali mi-

erocosmi ; tunc temporis si illæ humiditates inueniant in aliqua parte quantitatem salis separati & desiccati , eum dissoluunt & ulcerant partem per quam exitum habent : aut illæ humiditates possunt exiendo colligere vndiquaque sal corporis , si abundans sit, & secum deferre , & in exitu corrodere partem , per quam exēunt : sic fiunt ulceræ in extremitate penis, & in collo vesicæ , & in alijs partibus corporis, in quibus sal aliquod separatum reperitur , ibique humiditas adueniens , sal illud dissoluit, & cutem aperit, & vleus facit. In cuius cura duo consideranda sunt, humiditas primo desiccanda, & auferenda , & sal deinde auferendum , aut temperandum : in quibus obtainendis Medicus debet imitari actiones naturæ in macrocosmo , in desiccandis fontibus, fluuijs , & aquis stagnantibus ; sol etenim suo multiplicato calore tempore æstatis, & fontes & fluuios, & aquas stagnantes desiccat , & disperdit; itaque similiter excitanda est æstas in corporibus ulceratis ab vletribus ex defluxione , ut sol vitalis noster excitet, *Methodus curandi vla* & multiplicet suum calorem & hæc faciat : hoc *cera fontana* autem impetrabimus sequenti methodo: Mittemus *nea*. sanguinem secundum vires & ætatem ægrotantis; deinde præscribemus illi vietum calidum, & moderatè siccum; Assis utetur , non elixis : purgabitur frequenter purgatione sequenti ȝ. Cremoris tartari ȝ. j. Syrupi rosati laxatiui spagyricè præparati ex succo rosarum depurato ȝ. ȝ. Aquæ stillat. Mercurialis ȝ. j. Misce, fiat potio: iteretur frequenter, & sumatur manè iejuno ventriculo, seruato regimine & custodia. Deinde utatur per quindecim dies manè iejuno ventriculo supersudando

quartum fieri poterit , potionē sequenti ȝ. Tincturæ ferri ȝ. ȝ. Aquæ cardui benedicti ȝ. j. Syrupi de fumaria, ex succo eius depurato præparati ȝ. ȝ. Auri tonantis ȝ. j. Spiritus vini, tinctura malorum aurantiorum imprægnati ȝ. iiij. Misce, fiat potio sudorifica, quam sumet summo manè, cœpertus in lecto, exspectans sudorem quantum fieri poterit. Hisce medicamentis procul dubio , exsiccabuntur ulcera ex defluxione, quia hæc medicamenta excitant & multiplicant calorem natuum nostrum , & aptum reddunt, ut desiccat , & consumat superfluas humiditates in corpore nostro stagnantes ; & his desiccatis & consumptis , ulcera se ipsa agglutinant & cicatrizant balsamo naturali partis ulceratæ operante, quod ut citius fiat ego consulō ut ulcus lauetur sæpiissimè aqua comuni, vel aqua sclopetaria , aut tinctura Martis, seu ferri.

De Ulceribus leprosis.

C A P V T XII.

eribus leprosis.

TN his ulceribus leprosis sal quod est eorum causa efficiens , & materialis, habet præter simplicem corrodendi facultatem, quam ex sui ipsius calcinatione & desiccatione obtinet, corruptionem & alterationem peculiarem suæmetipius substantiaz; qua corruptione & alteratione priuatur spiritu itæ, tartareamque acquirit substantiam omnino

terream, & fœculentam: beneficio cuius inficiuntur & reliquæ duæ substantiæ balsami naturalis, Mercurius scilicet & sulphur: nam cùm sal balsami naturalis sit causa conseruationis ipsius, & partium omnium: si corrumpatur, corrupti & necesse est reliqua cuncta, quæ à solo sale conseruabantur. Itaque in leprosis corruptitur omnino substantia tota humidi radicalis, & proinde mirum non est si adeò deformes sint, cum toto corpore tuberosi & ulcerati sint propter salis universalis balsami naturalis absolutam corruptionem. Quod sal ita corruptum & alteratum terreri & fœculenti tartari naturam imitatur, reliquæ substantias, Mercurium putà & sulphur convertit in tartaream & fœculentam substantiam, & sic balsamum emne, tum proximum, tum futurum, tartareum quid est & fœculentum, adeò ut non permittat liberale commercium spirituum animalium & non detur copiosus aditus spirituum animalium, in partes omnes corporis leprosi: unde sensu sunt obtuso, & hebeti prorsus, & adhuc magis ac magis corruptione inficiuntur nectareo illo volatili balsamo priuatæ partes: quamobrem cura eorum valde est difficilis, imò impossibilis, dum lepra est omnino confirmata, hoc est, dum substantiæ omnes balsami naturalis, à sale naturæ corrupto, & alterato corruptuntur, & alterantur, tunc temporis eorum cura æquè difficilis est ac resurrectio mortui in vitam, cum oporteat reficere, & reparare partes substantiales vitales deperditas omnino, & corruptas, unde talis reparatio est prius recreatio, quam curatio & soli Deo conuenit: & propterea solus in hac miseriarum valle curauit

hos morbos miraculo, vt ostenderet, quod creator esset rerum omnium, & verus Deus potens reparare, & reficere solo suo verbo ea omnia, quæ corruptio mundi infecerat & vastauerat, in his omnibus quæ ipse creauerat.

At dum balsamum naturale non ita centraliter corruptitur, at aliquo modo alteratur, in suo sale, tunc tempotis potest reparari illa alteratio, & refici omni ex parte, medicamentis quamplurimis, ita ut ni curaretur in lepram absolutam, & confirmatam incideret, qui tali salis sui corruptione afficeretur. Itaque ad curationem ergo ipsius corruptionis sic procedendum. Praescripto vietu humido & refrigeranti euchymo, seu boni succi, mitendus est sanguis è basilica brachij dextri, in parua quantitate viribus & ætati ægrotantis correspondente. Et iteranda est phlebotomia ista singulis mensibus in plenilunio: deinde statim singulis etiam mensibus in plenilunio post phlebotomiam, purgandum est corpus antimonio, aut ex Mercurio sublimato, super antimonium quod est sublimatum albissimum, & potentissimum arcanum ad lepram, & venereum luem quamcumque expurgandam: hic autem sublimatus Mercurius præparatur per cohobationes multoties facta, Mercurij crudi super antimonium crudum, donec vna cum floribus antimonij ascendat Mercurius, in crystallos pellucidas: de his huius sublimati est dragma vna, in conserua rosarum: purgat lentissime per inferiora tantum, sed renouat maximè totum sanguinem. Idem etiam præstat tinctura antimonij extracta beneficio aceti ex oleo antimonij extracti, vt declaratū est superius. Præ-

star autem omnibus hisce remedijs aurum potabi-
lē nostrum , supradictum : quintam etiam san-
guinis essentiam valde probamus, & reliqua cun-
cta quæ ex sanguine humano eliciuntur Spagyrica
arte , & omnia extracta, tincturæ & essentiæ , quæ
ex serpentibus, & præcipue ex vipera eliciuntur,
mirum enim faciunt in renouandis corporibus le-
prosis : aurum etiam tonans & fulminans maximè
etiam confert, dosis eius est 9. j. in aqua cardui
benedicti, aut ulmariæ.

De Ulceribus venereis.

CAPUT XIII.

VENERA nullo pacto diffe-
runt ab alijs ulceribus secundum cau-
sam efficientem , & materialem essen-
tialiter , hoc est , ex essentia , & sub-
stantia ipsius causæ ; sed secundum quædam acci-
dentialia , quæ huic peculiariter causæ adueniunt , ut
corruptio insignis balsami naturalis futuri , hoc est
sanguinis & cambij , & corruptio naturalium spi-
rituum , beneficio quorum hic morbus fit conta-
giosus : nam spiritus seminales qui naturales sunt
constant ex tenuissima sulphuris Mercurij & præ-
cipue salis substantia ; turget enim spiritus salis in
hoc spiritu seminali , vnde est illa ingens titillatio
& voluptas toti corpori communicata . Spiritus in-
quam , hi cum egrediuntur è corpore per vias
communes & generationi destinatas , dum homo

*De Ul-
ceribus vene-
reis.*

*Vndenam
morbus ve-
neris.*

suo simili iungitur, non ad sui similis productio-
nem & generationem, sed ad voluptatem & deli-
cias in quibus ob fragilitatem carnis, volutatur: ideo
repetit actus illos ut voluptate sua inebrietur; qui-
bus tandem tamdiu repetitis ob humiditatem par-
tiū generationi dicatarum & calorem sēpē natura-
lem corruptitur semen in sua substantia, & spi-
ritus inficiuntur, & infecti regrediuntur ad
fontem, nempe ad hepar, ibique sanguinem & spi-
ritus naturales reliquos inficiunt, & ab hoc fon-
te, totum corpus inficitur: homo autem sic infe-
ctus, aut mulier, si cum altero rem habeat vene-
reā, inficit eum simili infectione, per contactum
seminis & spirituum naturalium infectorum, qui
suos similes illico aggrediuntur, & inficiunt: ca-
lor deinde naturalis per facultatem expultricem
excitatur ad expurgationem illius infectionis vnde
desiccat & calcinat salēm balsami naturalis, desic-
catumque ad cutem pellit, ibique vlcuscula rotun-
da rubea crustacea excitat. Tunc aliquando si ma-
teria corrupta maximo abundet sale, & pellatur ad
superficiem cutis, decidunt pili, quia sal corrodit
& causticat radices pillorum, vnde fit eorum ca-
sus. Si vero hanc eadem materia quæ ad cutem
amandatur, non tota ad cutem, sed ad centrum
corporis, hoc est ad imum muscularum, nervorum
& tendinum & periostiorum amādetur, tunc fiunt
dolores ingentes & crudeliores arthritide, ex
corrozione illarum partium ab ipso sale; hoc au-
tem fit, dum tota materia luis venereæ non ad cu-
tem & superficiem corporis cogitur, propter craf-
fitionem suam & tartaream eius naturam, quæ non
potest a calore naturali corporis sublimari ad par-

tes superiores. Itaque crassior redditur, & fixior, & proinde acrior & mordacior fit coquitur enim à calore semper sal, vnde dolores illi crudeles, & atroces. Hæc deinde materia pedetentim coalescit in tophos & nodulos, qui curationem difficultiorem multò reddunt, imò incurabilem medicamentis vulgaribus. Ab hisce causis internis dependent vlcera venerea. Causæ verò externæ à quibus etiam dependere possunt, sunt vel contactus externi infectorum hominum cum non infectis, solo enim contactu vt accubitu, potionē in eodem vitro non loto, vel vase aliquo alio potest contrahi hic morbus, quia spiritus naturales per poros corporis dimanant semper ab illis corporibus infectis, & iunguntur alijs spiritibus, vnde non infectus (aut per inspirationem, aut per insensibilem transpirationem: nam spiritus hictum permeant corpus) contrahet hunc morbum.

Sunt & aliæ causæ externæ huius morbi, præter contactum contagiosum alicuius infecti; hec autem sunt astrales, & influxus cœlestes, beneficio spiritus mundi, qui recipit in se primò, & immediatè malignos, & peruersos planetarum radios, & influxus, & sic spiritus ità infectus, aëre mediante corpus nostrum ingreditur, & nostro spiritui, quo viuimus iungitur, & ità inficit illum infectione, quam ab astris recepit: quod natura-liter contingit, apud Indos, vbi Gaiaci quantitas crescit, theoriam hanc testari potest, ibi enim hic morbus epidemicus est, & regionalis, inficit naturales omnes, tamquam quædam pestis: ideo benigna natura, vbi malum natale, ibi posuit patrum

remedium. Quod & in nostris regionibus, & per totam Europam solet etiam euenire in morbillis, & variolis, quæ vlcuscula sunt ab astris descendenteria, & pueros omnes, vnâ vice saltem in vita inficientia; Spitus enim mundi, tali peculiari influxu astrali infectus, inficit balsamum naturale puerorum, & infectum balsamum tali lue ebullit, ut eam expellat ad cutem, in qua fiunt illa vlcuscula, vniuersam puerorum cutem defœdantia. Sic & in Indicis regionibus, spiritus mundi afficitur peculiari astrorum influxu producendæ lui veneræ idoneo & capaci. Itaque ab spiritu deinde mundi afficitur, & contaminatur balsamum naturale Indorum, & hinc oritur lues illa venerea, quæ tamdiu fuit à Medicis ferè omnibus incognita, & curatu impossibilis, quam lepræ & elephantiasis speciem esse assero, propter corruptionem vniuersalem, & insignem, quam inducit in totum corporis humani balsamum & suauissimum vitæ nectar: quid enim lepra est, quam corruptio insignis, humidi radicalis vitæ nostræ? Quid vero lues illa venerea, quam id ipsum? Vnde etiam medicamenta quæ lepram curant, luem etiam vene-ream mundant, ut videre est inferius in curatione istius morbi.

Medici Galenici non probabunt vllatenus huius morbi theoriam; in eo potissimum quod asseram spiritus humidi radicalis nostri corruptioni esse obnoxios, imo etiam spiritum mundi, quem omnes Philosophi incorruptibilem, & inalterabilem dixerunt, ex ætherea substantia & cœlesti, quæ fiunt & componuntur, quæ quidem substantia inalterabilis est, ex copia sui ignis innati, quo tur-

get. Respondemus spiritum mundi, & spiritus nostros quibus viuimus, spiritusque aliorum mixtorum esse quidem in simplici sua substantia ætherea & cœlesti incorruptibles; at quatenus permiscentur elementis, ut vitæ nostræ prosint, eatenus corruptibles sunt, quia corpora sunt elementaria, ut corpori nostro elementari iungantur, & cæteris prosint mixtis: itaque nullatenus mirandum est si cum Medicis Spagyricis admittâ corruptionem, & alterationem spirituum nostrorum, quibus viuimus, & cætera elementorum mixta conseruantur & fiunt, quod hi spiritus antequam fiant idonei conseruandæ vitæ nostræ, oportet ut iungantur elementis, & fiant quid corporeum elementare; id autem corruptibile est, non ratione primæ suæ substantiæ cœlestis & æthericæ, sed ratione secundæ, & elementaris: illæ autem substantiæ simul sumptæ & unitæ, fiunt, unum quid corruptibile, & alterabile, ut possit mutari in nostram substantiam. Obiectione prædicta soluta, possumus iam ad curam absolutam huius morbi peruenire. Si sit ergo corruptio vniuersalis trium substantiarum balsami naturalis, salis sulphuris, & Mercurij, cum corruptione & alteratione spirituum vitalium, & calcinatione & desiccatione salis balsami naturalis, ita ut lepram imiteretur: si non absoluta, & integra sit corruptio, & alteratio trium substantiarum possumus sequenti methodo tanto succurrere malo.

In primis nutriendus & alendus est ægrotus alimentis boni succi, ut caponibus, palumbis, columbis, alaudis, coturnicibus, perdicibus, & alijs eiusmodi, quibus omnibus parcè admodum vten-

dum est, ne stomachus cruditatibus impletatur, quibus potissimum vigente morbo abundat: itaque commodum erit singulis hebdomadis has serositates, & stomachi cruditates medicamento vomituо euacuare, ut sale vitrioli, vel antimonio optimè præparato, deinde aquatheriacali singulis matutinis horis sumpta roborandus est ventriculus. Præscripto hoc vitæ regimine, mittendus est sanguis e basilica brachij dextri, ad quantitatem viribus ægrotantis, regioni, & ætati illius correspondentem; copiosa debet autem esse hæc phlebotomia, ne tamen ægrotus debilitetur, per vi-ces iteranda est, ut sanguis omnino corruptus extrahatur, & tandem renouetur, medicamentis alijs sequentibus: Præscribetur per mensem integrum, si pertinax fit morbus, sequens potio 2*l.* Aquæ cinnamomi sudorificæ, distillatæ (ex partibus æ qualibus vini optimi, cinnamomi, & ligni Gaiaci) 3. iiiij. Antimonij sudorifici, seu pulueris bezoartici mineralis 3. Lapidis bezoartici naturalis grana quatuor, misce fiat potio, vtatur per mensem, manè sumendo, iejuno ventriculo, supersudando, quantum fieri poterit, in lecto optimè coopertus. Post sudores purgandum est corpus, ab humoribus crassis & tartareis quibus abundant hi ægrotantes; erit autem eorum purgatio ex Mercurio præcipitato cùm oleo vitrioli, aut oleo sulphuris, quòd si amalgaueris Mercurium cum auro, & illud amalgama fixaueris, aut saltem coagulaueris cùm oleo sulphuris, per coobationes ter aut quater iteratas in alembico, aut in retorta, habebis Mercurium præcipitatum purgatiuum optimum, qui cluendus est ab acritudine olei sulphuris lotioni-

bus quamplurimis, aqua dulci factis donec dulcescat: dosis eius erit grana duodecim ad quindecim in conserua rosatum.

Datur & alia Mercurij præparatio quæ radicibus tollit malum hoc, seu lepram hanc venereum: fit autem sequenti methodo. Capiatur Mercurius sublimatus vulgi, & coniungatur cum æquali quantitate salis communis depurati & dealbatis deinde sublimetur Mercurius & septies iteretur hæc sublimatio, renouato & mutato singulis vicibus sale communi: deinde super illum Mercuriū ita præparatum ponatur ad eminentiam quatuor digitorum, spiritus salis communis, & digestantur simul in matratio optimè clauso in cineribus tepidis per quindecim dies. His transactis auferatur spiritus salis per inclinationem, & reponatur nouus, donec tota Mercurij substantia solvatur: hæc soluta distilletur per retortam in cineribus; deinde in balneo mariae separetur spiritus salis qui primo egreditur: deinde in cineribus pelatur Mercurij substantia, quæ potest rectificari ad maiorem penetrationem. Aliquando ascendit in puluerem albissimum, & tenuissimum, at statim solvitur in aquam: hæc aqua rectificata donec nullas emitat feces, potest, estque capax curandi hunc morbum. Cui adhuc si addas aliquid aurum tonantis soluetur statim, & præstantius fiet remedium, aut si addas aurum foliatum, extrahet tinturam ad eumdem effectum præstantissimam, & huic soli medicamento debetur cura huius lepræ venereæ absoluta, & radicalis: Ideb prudens & doctus Medicus debet omni cura adhibita, habere hoc præstantissimum medicamentum, quo glo-

riam & laudem sibi comparare poterit, modò obseruet cætera prædicta, in hoc prædicto capitulo; regimen putà victus præscriptum, & phlebotomiam, & diætas, & reliqua cuncta: deinde præscribat hoc medicamentum ad curam absoluēdam.

De strumis, seu scrofulis.

C A P V T X I V .

De strumis.



L C E R A quæ strumæ seu scrofulæ dicuntur vulgariter, à Chymicis dicuntur vlcera vitrea, quod à nitro præter naturam corporis humani fiant; sunt enim quamplurimæ species salis in corpore humano, nitrum verò copiosum est, & in communi suo emunctorio, quod est renes, & vesica, foras expellatur, hæc vlcera parit. Nam fertur vndiquaque per totum corpus per medias serofitates Mercuriales, quibus omne corpus turget, & potissimum cerebrum, in cuius emunctorio, natura ipsa constituit glandulas qualidam tamquam spongias ad attrahendas illas serofitates, & digerendas, & foras per insensibilem transpirationem detrudendas. Quòd si calor illarum glandularum, & facultas innata imbellis sit, serofitas crescit, magna in copia, & coagulatur, beneficio salis nitri quo turget in globulos & nodulos; non secus ac nitrum in magno mundo: deinde sal istud coagulatum pedetentim calore suo, & partis in qua coagulatum est, acrimoniam

acquirit, & adurendi potentiam, qua cutem rodit, & causticat, vnde fiunt hæc vlcera.

Cause externæ horum vlcerum sunt alimenta *Causa strumæ*, omnia, quæ turgent & abundant sale, quibus si morum, nutriamur sal nitrum corporis multiplicatur & crescit; vnde videmus animalia omnia quæ vntutur alimentis putridis, tartareis, & feculentis hæc sola esse obnoxia prædictis vlceribus, vt sunt porci & homines, quod utantur omni genere alimento rum, & quod copiose edant; sic enim eorum tartarea excrementsa multiplicantur, ac proinde sal præter naturam balsami naturalis, ex quo hæc vlcera fiunt: vnde possunt definiti hæc vlcera, sequentibus verbis. Strumæ seu scrofulæ sunt, ni- *Scrofulatum* præter naturam balsami naturalis, separatum *rum definis-* & amandatum, in emunctoria communia par- *tio*. tium nobilium, aut in alias aliquando partes, vbi coagulatur in tophos & nodulos lapideos quasi, qui successu temporis ab acrimonia salis fiunt vlcera cancroſa & phagedenica. *iv s. sl.*

Curatio hōrum vlcerū dependet ab ablatione, *Curatio* aut diminutione salis illius nitrosi, præter natu- *strumarum*, ram quod in balsamo naturali residet, & crescit, ut causa antecedens tollatur: Tollitur autem sal istud, aut diminuitur, victus regimine euchymo, & purgatione ex Mercurio superiorius præparato, singulis mensibus in plenilunio iterata: potest etiam ante purgationem, aut post celebrari phlebotomia, ætati, & viribus ægrotantis correspondens. Oleum etiam Mercurij seu eius essentia, superiori capite descripta & præparata, præstat omnibus remedijs, vt humorum omnium saburram è corpore horum ægrotantium sine noxa expellamus suffi-

cit etiam istud oleum. vt ad cicatricem laudatam
vlera hæc omnia perducamus, modo admisce-
atur oleo vitellorum oui, & sic vleribus superim-
ponatur tepide: debent tamen prius hæc vlera la-
uari & ablui, bis aut ter in die, spiritu nitri aut spi-
ritu salis communis, & his solis medicamentis Deo
dante exterius applicatis, & interius assumptis
possunt certissime curari hæc vlera.

De Tinea.

C A P U T . X V .

De Tinea.



TINEA est vlcus peculiare capitis cru-
stas siccas & aridas, & squamosas pro-
ducens, coloris albi, & aliquando
subcrocei. Hæc vlera dependent à
sale vitriolato præter naturam balsami
nostris; vitriolum enim in magno mundo, dum
fortissimè calcinatur igne, modò ab excrementis
suis terreis & argillosis sit defæcatū coagulatur in
squamosam massam albam & subflauam. Sic & in
paruo mundo, vitriolum dum separatur à balsa-
mo corporis nostri, tendit ad cutem, ibique coa-
gulatur in squamosam substantiam vnā cum cute,
quam vlerat & corrodit, & si id fiat vniuersali-
ter per totum corpus, fit vera lepra: nam Tinea,
est vera lepra peculiaris capitis; à sale enim illo
corrumptur omnimodo balsamum naturale pe-
cicranij. Itaque potest definiri Tinea, vlcus pecu-
liare capitis phagedenicum & cancrosum à sale vi-

trioli corporis humani dependens, cuius ope peri-
cranium corroditur in squammas albas & subfla-
uas.

Hoc vlcus malignum admodum est & curatu
valde difficile cui si segniter succurratur, & negli-
gatur eius cura, conuertitur certissimè in veram
lepram, & pedetentim serpit per totum corpus &
inficit vniuersum totius corporis habitum, balsamo
naturali corrupto; quamobrem citissimè mederi
debemus huic malo, sequenti methodo. In primis
præscribendum est vietus regimen eucynamum re-
frigerans & humectans, vt temperemus calorem
naturalem, ne viuacitate sua & robore desiccat &
coagulet sal illud, & amandet ad superficiem ca-
pitis, at coërceatur in centro balsami naturalis dis-
solutum. Post præscriptum vietus regimen, de-
ueniendum ad sanguinis missio[n]em, ex cephalica
ad quantitatem vitibus ægrotantis, & ætati cor-
respondentem. Quæ sanguinis missio iteranda est,
ter aut quater in anno in plenilunio. Deinde bal-
neanda sunt corpora prædicto vlcere affecta bal-
neo aquæ dulcis tepida hæticorum more, prohib-
endo ne in balneo, nec extra balnea supersudent,
id autem sit, vt astringentia salis illius vitriolati
moderetur, adaugtis corporis humani humiditatibus
quibus & salis istius astringentia temperatur,
& caloris nativi robur & viuacitas moderatur, ne
coagulet & desiccat sal istud, & amandet ad cu-
tem: interim inter balneandum laxanda est alius
clysteribus emollientibus & refrigerantibus, aut
portionibus benignis catharticis, vt ex senna deco-
cta cum prunis dulcibus, aut alijs eiusmodi, por-
tionibus, vel ex cremore tartari cum tyruo rosa-

to laxatiuo. His celebratis medicamentis, deueniendum est ad topica remedia quibus sal istud corrumpitur, & mutatur in aliam substantiam, ita ut eius corrosiva facultas pereat & annihiletur: quod ut facilius obtineas sequentem obseruabis methodum.

Truncandi & radendi imprimis sunt capilli, aut euellendi vnâ cum crustis si fieri possit, aut post capillorum tensionem humectandæ sunt crustæ decocto serpentariæ maioris, & eas crustas sic humectatas perungere oportet oleo vitellorum ouorum, ut omnes decidant: deinde vlcus ipsum seu totum caput perungendum est balsamo Mercurij superius descripto, Capite de lue venerea: aut oleo antimonij rubeo descripto in secunda sectione huius libri, capite nono, vulnerum. Quæ duo balsama possunt applicari sola ipsis ulceribus, aut permixta cum oleo vitellorum ouorum, capite tam en cooperato emplastro de Diapalma, cui malaxandum est, seu permiscendum calcinatum magnum Paracelsi, qui est Mercurius precipitatus cum aqua forti.

Balsamum Vel si hæc balsama praedicta non sunt præ mārtari fit nibus, nec haberri queant, applicandum est oleum extartaro sulphuris, vel vitrioli, temperatum cum modicea arcenico & aqua plantaginis, vel rosacea: deinde postquam vlcus salepetra si- erit lotum & nitidum ab omnibus crustis, lauan- mul permix dum est balsamo tartati bis in die, cum balsamo r̄is & calcis sulphuris per quatuor, aut quinque dies: quibus natūs, vide translactis cicatrizandum est vlcus cum oleo vitelli lib. 3. myro- lorum oui, & croco martis simul permixtis & ma- rberij capite laxatis, vnguenti & linimenti instar. Ad capillo- de tartaro. rum autem subitam regenerationem lauandum

est caput iam ad cicatricem laudatam perductum,
aqua mellis permixta cum oleo tartari, vel cum
aqua vitæ, quibus obtinebis, Deo dante, omne
quod in votis erit circa curationem huius maligni
vleroris.

De Fistulis.

C A P V T X V I.

I S T V L A sunt vlcera apud Medicos *De Fistulis*.
vulgares & Galenistas concava, & ca-
uernosa sic appellata, quòd fistulas mu-
ficas imitentur sua concavitate. Medi-
ci vero Spagyrtici, totius naturæ veri
anatomie hæc vlcera dicunt, vlcera salisperæ, quòd
fiant à salepetra præter naturam balsami nostri: sal
enim istud dum separatur à balsamo naturali, &
amandatur in aliquam partem ibi coagulatur in fi-
stulas seu canales longos & fistulosos, qui pede-
tentim corrosione sua vlerant cutem & carnes
cuti suppositas, secundum suam formam quam à
natura obtinent, quæ cum sit fistulosa, fistulosa
fiant vlcera: at causa eorum materialis secundum
Chymicos est salpetra, ut iam dictum est. Hæc vl-
cera sunt sine dolore propter sal istud à quo fiunt
quòd sit frigidum manifestè, & narcoticum se-
cundum humiditatem quam secum habet innatam
& naturalem, cuius ope, ignem & calorem maxi-
mum quo turget in suo centro, retineri & extingui-
certum est, ne aliquas habeat facultates & ope-
rationes dum viget illa humiditas, cuius ope vlce-

ra hæc indolentia sunt. Itaque possumus definite
hæc vlcera fistulosa , vlcera cauernosa , longa, py-
ramidum & fistularum instar à salepetra cor-
poris humani , qui separatur à sale naturali bal-
sami nostri , ad superficiem corporis ibique co-
agulatur in figuras pyramidales & fistulosas , quæ
pedetentim cutem & carnes vlcerant secundum
eam figuram.

*Cura fistu-
larum.*

Cura horum vlcerum dependet ex regimine op-
timō & eucymo , & tenui , ne copia ciborum
multiplicetur sal istud petræ:nam in humano cor-
pore in quo salpetra scatet & turget, sal omne qua-
leculque sit quodex alimentis prouenit facili nego-
tio conuertitur in salepetræ : non secus ac in ma-
crocosmo in cauernis vbi salpetræ crescit , quic-
quid salis aduenit in eo loco , conuertitur in sale-
petræ , vnde & salpetrarij inueniunt omne genus
salis in ipso salepetræ confiendo , & separant il-
lud suis filtrationibus & coagulationibus ; vnde
parce admodum cibandum est , ne copia alimenti
sal istud crescat , & multiplicetur. Post regimen
victus præscriptum , phlebotomandum est ex parte
opposita parti vlceratæ , & mittendus est sanguis
secundum vires & ætatem ægrotantis , habita ratio-
ne temporis & regionis , & reliquarum omnium
rerum quas expostulat phlebotomia , quæ iteran-
da est singulis mensibus , modo vires & ætas per-
mittant : deinde purgandum est corpus pillulis
sequentibus 2. Micæ panis optimi 3ij. 3. Mercuri-
rij sublimati super alium mercurium crudum &
super salem communem decrepitatum 3. j. Balsami
mercurij dulcis superius descripti capite de lue
venerea , 3 iiij. Balsami antimonij superius etiam

descripti, 3: ij. Mosci & ambari grisei an: grana vj.
Olei cinnamomi gutt. viij. misce fiat massa pillu-
larum, de qua capiet singulis mensibus in plenilu-
nio dragmam semis manè iejuno ventriculo, ser-
uato & regimine & custodia: & interim laxanda
est alius cremore tartari & syrupo rosato soluti-
uo, singulis hebdomadis.

His praescriptis medicamentis deueniendum erit
ad topica remedia, vt fistulosa haec ulceræ ad cicat-
ricem laudatam perducere valeamus. Oleum au-
tem Mercurij dulcis superius citati, & oleum ru-
beum antimonii sufficient ad curationem absolute
absoluendam, ad quam vt citius peruenias, impri-
mis spiritu salispetræ fistulas tuas siphone aliquo
lauabis, magno impetu injiciendo spiritum hunc in
centrum fistulæ vt vndiquaque penetret, & tangat
omnes partes ulceratas & corrosas, & dissoluat
omnes callositates & durities, quæ communiter
solent concomitari haec ulceræ: spiritus autem hic
omnia haec emollit & discutit: deinde balsama
praedicta Mercurij & Antimonij ad cicatricem
laudatam conducunt ylcus: quam accelerant Iu-
lapia ex spiritu salispetræ & succo limonum, & sy-
rupo eorumdem composita & singulis matutinis
horis iejuno ventriculo sumpta, vt sanguinis mas-
sam expurgent ab omnibus tartareis excrementis
quæ subito mutantur in salem.

Balsama etiam seu olea, quæ possunt elici ex
metallis omnibus beneficio olei Mercurii confe-
runt multum ad fistulas curandas, cuiuscumque
sint generis, vt Argentum solutum & in oleum
conuersum ab oleo Mercurii curat omnes capitæ
seu pericranii fistulas & talpas.

Cuprum in oleum redactum ab ipsomet oleo Mercurij curat omnia vlcera, quæ possunt naturaliter contingere in partibus generationi dicatis, & sic de alijs metallis asserendum est: Mercurius enim cum sit humidum radicale cuiuscumque metalli, si iungatur alijs metallis habet & obseruat eisdem proprietates, & energias ac metallum cum quo coane&titur; non secus ac Mercurius cœlestis, qui dum soli iungitur est sol, dum lunæ est luna: si iungatur veneti est venus, si saturno est saturnus. Itaque si habueris essentiam seu humidum radicale Mercurij vulgaris, cum eo habero poteris omnia alia humida radicalia metallorum cum quibus miraculosè operaberis.

De Cancro.

C A P V T . X V I L

De Cancro.

A N C R I apud Medicos vulgares & Galenistas originem habent ex sanguine crasso, fœculento, melancholico & terrestrí, adusto calore præter naturam qui in hisce tumoribus inueniuntur. Medici verò Spagyrti horum vlcerum originem, & scaturiginem ducunt ex sale tartareo excrementoso, qui separatur ex sale dulci balsami naturalis nostri tamquam quid contrarium vitæ, adeò mordax & causticum cum peculiari quadam maligna qualitate, ut habeat potentiam vrendi & causticandi; non secus ac caustica potentialia, cuius salis caustici ratione & opera, vlcera hæc dol-

rosa omnino sunt difformia, & varijs coloribus variegata, putrida omnino & infecta, supra modum vleerum omnium: quamobrem Medici Spagyrici vnà cum Paracelso, cancrosa vlcera in homine dependere putarunt ex ijsdem causis, quibus dependet caries & putredo terrarum & lapidum in subterraneis locis, in quibus generatur Arsenicum, auripigmentum & Realgar, quæ omnia sunt species salis mineralis tartarei, & excrementosi, in quibus latet mira vrendi & causticandi potestas; vnde terræ & mineræ in quibus generantur, steriles manent & mortuæ nihil aliud generant, præter illud ipsum mortiferum quo turgent, & circumcirca vitales omnes actiones, & producendi facultates extingunt. Pari ratione in homine, hoc sal vitæ per totum corpus sparsum separat facultate sua expultrice, & in cutem amandat aliud sal exrementitum tartarosum, arcenicale & Realgarinum: quod si in aliqua parte coaguletur vlcera cancrosa constituit, sic à Medicis appellata vulgaribus, quodd figura, aliqua ratione cancros matinos imitantur. Medicis verò Spagyrici, hæc vleera definiunt salia, Arcenicalia & Realgarina, quæ dum separantur à balsamo naturali, dum non possunt resolui per poros cutis condensantur, & coagulantur in tumores, vbi corrodunt partes, & maligna sua qualitate spiritus vitales offendunt, & tendent extingunt & perdunt, ita ut partes cancro, affectæ sphacelo capiantur. Itaque ex doctrina Chymicorum vlcera hæc videntur mineræ arcenici, Realgaris, auripigmenti, & aliorum similium mineralium quæ virtute caustica & adurente pollent: Hoc videtur autem stupendum apud Medicos

Galenistas tales in corpore dari mineras, & tamen non mirantur in eodem homine lapides multi generis generari, & animalcula, quidni ergo & mineralia?

*Cura can-
cerorum.*

Ad curam ergo horum ulcerum ex doctrina chymicorum imprimis obseruandum est: Vitæ ballatum immutandum esse, & renouandum viatus regimine, & purgationibus benignis saepius iteratis. Viatus autem erit euchymus, fugiendo & evitando omnia tartarea alimenta salita, & crassa, quæ sanguinem crassum & fœculentam generant: sanguis missus in plenilunio copiose si vires ferant est magnum arcanum ad sanguinem innuantum. Sudores etiam ab antimonio sudorifico eliciti maximè prosunt post purgationem ab eodem antimonio: antimonium autem sudorificum habes in hoc opere multis in locis descriptum sequenti autem methodo optimum habebis. Reguli antimonij optimi & albissimi quantum volueris, reduc in puluerem, & misce cum pari quantitate salisperæ, & calcina ambo in tigillo forti, per tres horas in mediocri igne: Deinde iterum reduc in puluerem & iterum permisce nouæ quantitati salisperæ, & calcina iterum, & hoc itera donec regulus antimonij in puluerem albissimum conuertatur quem ablue aqua dulci tepida, donec tota salis substantia pereat, & habeas puluerem albissimum quem igne desiccabis, & ad usus mirois conseruabis. Dosis eius erit dragma vnicum, aut semis eum aqua cardui benedicti, aut ulmariæ.

Ad topica deinde deueniendum est, ut causas coniunctas horum ulcerum auferamus. Sunt qui ferro carenti conantur auferre has causas: hoc

quidem probo, modò radicibus tota minera arcenici auferatur in illa amputatione; alioquin nihil prodest, quia quod reliquum est, citò crescit & multiplicatur attrahendo quidquid arcenici natura expellit per poros cutis. Medici autem Spagyrici, quamplurima excogitarunt ad mineras arcenicales sine ullo ferè dolore auferendas, & eradicandas virtute Mercurij metallici alicuius in primum chaos reducti, & ad dulcedinem cocti: nam alioquin venenum summum est, & causticum potentiale efficacissimum: hic Mercurius sic Spagyricè præparatus, qui est substantia viscosa & tenax exqua mineralia & metalla omnia fiunt, est verum, vnicum, & legitimum remedium horum ulcerum, quod quidem & potest ad quantitatem guttularum decem, aut viginti interius assumi ad renouationem sanguinis, modò coctum sit & dulce, & exterius applicari ad causas coniunctas tollendas sine dolore. Docui falso aperte harum substantiarum Mercurialium extractiones ex metallis & mineralibus in libro tertio myrothecij Spagyrici, & virtutes earum declaravi passim in Palladio meo. Et adhuc particulari eloquio & faciliori docui in Capite de ulceribus venereis, & in capite de fistulis huius tertiae sectionis.

De Vlceribus ex combustionē.

C A P V T XVIII.

*De combus-
tis.*



O M B U S T A sunt vlcera quæ dependent à causis externis comburentibus & causticantibus, quæ ex calore præter naturam quem habent adurunt & causticant partes quibus infliguntur: veluti ferrum candens, pruna, carbones igniti, cineres excalfacti, aqua, oleum, butyrum, vinumque ebulliens & reliqua cuncta quæ possunt igniri. Ea ipsa ignita si possint partibus corporis nostri applicari, vicerant partes & comburunt magno cum dolore quod in ignitione suarum substantiarum, hæc substantiæ acquirant acrimoniam & corrodendi potentiam ab excessu calore, & præcipue sal quod est substantia præcipua quæ suscepit ignem illam facultatem & vim corrodendi; Aliæ enim substantiæ non tam citè suscipiunt illam. Hæc ergo substantia, substantiæ partium quibus applicatur iungitur & communicat suam corrodendi virtutem, & sic fiunt vlcera à combustionē, caustica potentialia, artificialia, aut naturalia qualiacumque sint, ut cantharides, flammula, Ranunculus, calx, arcenicum, auripigmentum, viride æris, sublimatum, aqua fortis, sal tartari, & sal sarmientorum, & reliqua cuncta quæ corrodendi facultatem habent, nobis satis clare monstrant huius rei veritatem; nam calor præter naturam qui inest ipsis substantijs, acries, & mordaces, & corrodentes efficit, ita ut spirituose

spirituose & subtiliter penetrant partes quibus applicantur, easque ulcerent & causticent summo cum dolore, sic est de reliquis quæ ignitionem ab eisdem causis externis pati possunt, vt sunt aquæ bullientis liquores, & metalla ignita, quæ possunt ab ignitione sua & inflammatione partes quibus applicantur inflammare & ignire. Quibus malis vt succurrat Medicus Spagyricus, calorem illum præter naturam imprimis extinguere debet, remedium aliquo humido & frigido, vt puta aqua communis, vel aqua rosacea, plantaginis, nenupharis, vel earum plantarum succis: potest etiam ad maiorem efficaciam & virtutem haberi præ manibus aqua glaciei & niuis; hæ enim aquæ refrigerandi & humectandi maiorem præ reliquis habent efficaciam, quod sint absque ullis igneis spiritibus & æthereis; frigus enim eos ipsos spiritus fugavit, vnde & Mercurius rerum omnium aquosus & excrementitius qui nullis vitæ spiritibus turget, est arcanum combustorum: extinguit enim citissime omnes inflammationes & partium ardores; habetur autem hic Mercurius post extractionem spirituose substantiæ ex succis omnibus, post extractionem enim illius spirituosa substantiæ sequitur phlegma quoddam aquosum & insipidum, quod est verus Mercurius excrementitius & aquosus rerū omniū, quodque Medici communes Serum dicunt, aut phlegma. Post extincionem caloris præter naturam possumus utri ad vlcus curādum oleo plumbi, vel in eius penuria, butyro saturni, quod sit ex calce plumbi, in aceto stillatitio dissoluta, & ex hac dissolutione clara & filtrata modo permisceatur cum oleo violaceo, aut nenupharino, agitando simul


conuertetur ambo in substantiam butyro similem: vel possumus uti oleo vitellorum ouorum cum camphora in eo dissoluta. Terra etiam ex calce vera priuata multis lotionibus ab omni sale est etiam valde efficax remedium, si cum oleo violaceo permisceatur. At hæc omnia remedia, oleo plumbi, & oleo Mercurij dulci inferiora sunt, vt ante di-
ximus, capite de vlceribus venereis.

Sunt qui combusta curant remedij adurentibus & veluti causticis, vt sunt oleo tartari, salibus omnibus in acetō dissolutis, semine sinapi cum musto malaxato, aqua vitæ, quia hisce remedij adurentibus & calidis inflammatur de nouo pars affecta, & humor copiosus attrahitur, vndiquaque quo extinguitur & remedij & partis combustæ calor: sed hæc cura, quāvis aliquādo in eucymis corporibus succedat satis feliciter, nihilominus tamen in cacoēthea efficit, attractis vndiquaque humoribus malignis & peruersis qui vlcus malignum & prauum consti-
tuunt. Vnde & dolores sunt ingentes & vehemen-
tes, qui ægrotum valde discruciant & affligunt, quare non consulo ut his vtamur; at Galenicis re-
linquamus, quibus sic placet corpus humanum dilaniare & distorquere. Nos verò naturæ beni-
gniores serui sumus, mala omnia sua, quo possu-
mus ingenio & industria demulcemus, prouerbij
communis sequaces (omne violentum naturæ ini-
micum) hinc curam iucundam & sine dolore cæ-
teris præstantiore esse asserimus. Cura uimus nos
combustam vndiquaque faciem à puluere bellico,
quatuor diebus absque ullo dolore & summo cum
solatio ægrotantis, nulla remanente cicatrice, cum

tamen omnes putarent virum hunc honestum &
satis clarum utroque lumine orbatum, & pulchri-
tudine sua omnino præcedenti qua vigebat denu-
datum: vivit tamen adhuc, ac si numquam com-
bustus fuisse, & sola plumbi essentia curatus est.

CONCLVSIO HVIVS SECTIONIS TERTIÆ.

ABES Amice Lector quid.
quid Spagyricè potest dici
de ulceribus, in hac tertia
sectione completum: Si ni-
hil de herpete, de serpagine,
alijsque ulcusculis quæ cutem humanam de-
turpant non visum fuit hæc ulcuscula pecu-
liari capite tractare, quòd leuissima sint, &
minimi momenti, & multa sint apud Spa-
gyricos Chirurgos & alios vulgares descripta
medicamenta quæ hæc curant, sola simplici
lotione olei tartari, aut aquæ salis & acetii:
quamobrem sectionem quartam de luxatio-
nibus Spagyricè tractandam aggredimur.



SECTIO IV.

DE LVXATIONIBVS.

LUXATIO QVID SIT.

CAPVT I.

MEDECINI communes luxationem definiunt, mutationem præter naturam ossium ex locis suis naturalib⁹: Medicive rò Spagyrici addunt huic definitioni aliquos terminos quibus explicantur & causæ om sæ omnes luxationum: Itaque clarior multo est definitio Spagyrica præcedenti definitiōne. Est autem definitio Spagyrica hisce terminis: Luxatio est mutatio præter naturam ossium ex causis præter naturam, quæ temperamentum balsami naturalis nostri pervertunt, vnde articulatio, & eius usus, & functiones omnes lœduntur. In hac mutatione præter naturam ossium ex suis locis naturalibus, accidit tumor, inflammatio, & dolor: Tumor acci-

dit ex accusu humorum, qui naturaliter partibus
laesis occurunt in auxilium, ut dolorem & inflam-
mationem aliquatenus mitigent: dependet etiam
aliquando ex osse ipso luxato: inflammatio de-
pendet ex liquore balsamico qui in suis naturali-
bus substantijs, sale, sulphure & Mercurio, tem-
peramentum naturale non obseruat, & tendit ad
acquisitionem alterius temperamenti, ni subite
succurratur: dolor vero dependet ex solutione
continui quæ in luxationibus omnibus reperitur,
& ex acrimonia salis balsami naturalis, quæ ex in-
temperamento ipsius pedentim acquiritur.

De causis Luxationum.

C A P V T I I.

 Avs & Luxationum vel esse possunt Luxatio-
nē extērnæ vel internæ: extērnæ sunt om-
nes motus violenti, casus, saltus, exten-
siones membrorum supra naturam, &
alia multa similia quæ possunt ossa ex loco suo na-
turali dimouere: constellationes etiam & astrorum
maligni influxus & aspectus qui catarrhos & de-
fluxiones excitant sunt etiam s̄æpiissimè causæ ex-
ternæ luxationum. Causæ verò internæ sunt om-
nes catarrhi & defluxiones humorum, qui sursum
& deorsum totum corpus permeant, per poros, ca-
nales, & tubos insensiles humani corporis, quos
humores humanus archæus, hoc est calor naturalis
gubernat, vel ad exclusionem tamquam excremen-
ta, vel ad alimentum humani corporis, qui si in æ-

ticulationes & symphyses decidunt copiosi, emolliunt præter modum articulationes, aut substantiam tartaream & duram in ipsa articulatione producunt, ita ut impediatur articulatio, aut ossa è suo loco dimoueantur, aut si nimis emolliantur ea quæ articulationem naturalem custodiunt, ea postmodum simplici motu deprauatur ossibus demotis è suo loco naturali. Ut manifestum est in his omnibus qui diuturnam arthritidem passi sunt; liquor enim copiosus qui defluit in articulationes membrorum aliquando emollitione nimia sua luxat ossa, vel productione alicuius humoris tartarei ipsa etiam ossa è suo loco naturali pellit, quorum luxationum cura dependet in dissoluendis tartareis, siue nodosis illis substantijs, & in fluxione, vel congestione impedienda, antequam cogitemus ossa luxata ad suum locum naturalem collocanda, vt in capitulo curationis copiosiori eloquio legetur.

De Signis Luxationum.

C A P V T III.

Signa Luxationum.

HVMANVM corpus ita artificiose compactum ex diuersis & varijs partibus fuit à summo rerum opifice, vt si omnes hæ partes locum naturalem & situm, figuram, quantitatem, proportionem, & modum obseruent tanta est in humano corpore pulchritudo, & formosa effigies, vt facili negotio omnia à Deo creata, animalia, vegetantia & mineralia pulchritudine vincat; verusque sit totius mun-

di coryphæus; nullum enim metallum, nec aurum
nec argentum, nec lapis vllus pretiosus, adamas,
nec carbunculus, radios & lumen æquant oculi
perfecti, & omnibus partibus absoluti: quod etiam
fructuum & florum genus formosum eolorem
vincit: qui foliorum & quæ herbarum tenuita-
tem capillorum & pulchritudinem superat, im-
b æquat. Quid verò animalium est quod æquare
queat, humanorum membrorum formosas figu-
ras, & teneras cutis humanæ mollities. Hæc autem
externa membrorum humanorum formosa stru-
ctura & compago, signum est manifestum & cui-
dens, harmoniam, vñionem & coniunctionem par-
tium diuersarum quibus componitur, esse ex ordi-
ne & lege creatoris, quam dum inuiolatam obser-
uant, hæc etiam obseruatur externa species. Quòd
si ex accidenti percat, perit & id quod superius mi-
rum supra omnia fecimus. Itaque si in articula-
tionibus, tumor aliquis præter naturam videatur
in vna parte, in alia verò depresso videatur mem-
brum, & dolor maximus persentiatur, motus de-
prauetur & figura & forma naturalis, tunc tem-
poris ossa luxata dicere possumus. Ecce quod in
genere dicere possumus de luxationibus: nam in
particulari de omnibus luxationibus dicere nimis
fastidiosum esset & superfluū, cum & multi Gale-
nicorum Medicorum de his dixerint, quod si no-
stris codicibus iungatur, perfecta erit hac in par-
te de luxationibus doctrina.

De Cura Luxationum.

C A P V T I V.

*Cura luxa-
tionis.*



D curationem omnium luxationum, oportet imprimis ossa luxata, ad suum locum naturalem manu reponere: quod si manus, & robur humanum imbelle sit, recurrentum est ad instrumenta, quæ huic rei facienda ab arte ex cogitata sunt; instrumenta autem sunt depicta quæ huie rei inseruit apud Orribasium libro suo de machinamentis. Postquam ossa remissa sunt, & in suis locis naturalibus collocata, membrum in quo accidit luxatio, ligandum est conuenienti ligatura, ut os in suo loco naturali contineatur, & membrum deinde ita ligatum quieti est dandum, ne iterum luxetur, aut accurvant humores ibique putrescant & phlegmone fiat, quod ut præcaueatur statim ac remissum est os, cataplasma refrigerans & astringens apponendum est membro, quod sequitur ℥. Croci martis ʒ. j. Lapidis hæmatitis calcinati ʒ. 8. Colchotar vitrioli loti & à sale suo depurati ʒ. j. Succi iusquiami ʒ. iii. alburninis oui in spumam agitatione conuersi quantum satis ad incorporandum, & fiat cum stupa acetato madida cataplasma frigidè applicandum membro luxato: deinde statim mittendus est sanguis ex basilica partis membro luxato oppositæ, ad quantitatem viribus & ætati ægrotantis correspondente, ut fiat reuulsio sanguinis affluentis membro luxato, ne phlegmonem pariat, aliaque multa in-

commoda. Hoc autem cataplasma superius descriptum virtute innata sua fluxiones impedit, & humores affuxi ne corruptantur agit: Itaque necesse est, ut per octo dies, aut decem, maneat membris ligatum, donec omnino ægrotus persentiat se absolutè valere. Quod si interim calor & pruritus persentiat, aceto frigido est huic rei succurrendum, cataplasma madefaciendo donec frigiditas aceti persentiat: interim motu lento est agitandum membrum ter aut quater in die, ut humores pederentim evanescant qui in remissione ossis luxati in articulatione affuxi sunt, ne faciant Anchilosim de qua peculiari sequenti capite agemus, est enim symptoma prægrande, quod est curatu valde difficile.


De Anchilosí Articulationis luxatæ.

C A P V T V.

 N luxatione aliquando contingit Anchilosí quæ est ossium connexio humore aliquo agglutinante, qui impedit eorum motus: hæc autem Anchilosí fit in curatione luxationis, dum numquam mouetur membrum luxatum, vt motu illo leui rumpatur gluten Mercurij qui affluxit luxatæ parti: dum enim aliqua pars luxationem patitur, maximus in ea parte causatur dolor, & à dolore inflammatio, & calor

Anchilosí
quid & eius
ura.

præter naturam , qui vt extinguatur , natura maximam Mercurij vitalis quantitatem ad eam partem compellit ; hic autem Mercurius calore partis magis ac magis condensatur , & glutinescit , donec motus omnino impediatur , & synarthrosis , ex diarthrosis fiat , quam Medici Græci Anchilosim dixerunt , curatu omnino difficultem : si tamen naturalibus remedijs possimus eam curare , consulo vt fontes Chymicorum adeamus , vt hinc hauriamus aliquid Anchilosij utile . Oleum ergo tartari & spiritus tartari rectificatus , & à suo phlegmate depuratus , possunt (si quid est in rerum natura) Anchilosim curare : nam hic spiritus dissoluit certissime omnes tartareos humores , & dissipat glutinosas & viscosas , quæ generantur in articulatione substantias absque vlla noxa .



SECTIO V.

DE FRACTIONIBVS.

QVID SIT FRACTIO.

CAPUT I.

FRAC TIO est solutio continui *Frac tio* in osse facta; seu, præcisio ossis *quid*. ab aliqua causa externa violenter facta, cum intemperie balsami naturalis, partis in qua accedit ossis fractio; non enim os *vn*. quam vidimus ruptum ab aliqua causa externa violenta, quin pars in qua rumpitur os illico intemperiem quam maximam suscipiat: omnia enim symptomata quæ in luxationibus superuenire solent, in fractionibus etiam communia sunt, præcipue dolor, inflammatio, & humorum accursus; illa autem symptomata non possunt aliqui parti superuenire quin balsamum naturale illius partis intemperiem quam maximam recipiat; quæ intemperies maxime est impedienda, lenitis, aut omnino sublati alijs symptomatibus; hoc autem demonstrabimus peculiari capite, vbi de curatione agemus.

De Differentijs & speciebus fractionis.

C A P V T I I.

De differentijs fractionis.



Ex sunt species seu differentiae fractionis, à Medicis Galenistis excogitatae & inuentæ; non tamen cognitu necessariæ ad curationem, vt ipsem Hippocrates satis indicauit lib. de fracturis, & lib. de vulneribus capitis, in quibus nullam mentionem fecit harum specierum & differentiarum: transuersalis vero & secundum longitudinem sunt notatu dignæ, quod indicent aliquid quod curationi confert, nempe, vt os fractum reponatur in suo situ naturali, si reponi possit. Medici etiam Spagyrici has contemnunt ossis fracti differentias, habent tantum naturæ intentum, hoc est reponere ossa in suo loco naturali, & parti mederi, non curant qualicumque modo ruptum sit os, modo reponant suis balsamis & medicamentis.

Dividunt autem moderni Medici has fractionis species, in Raphanidon, schidacidon, cauledon, Eisonycham, Alphytidon, & Apothorausin.

Raphanidon dicunt fractionem transuersalem ossis, sub qua comprehendunt cauledon, quod scissuras habeat in sua fractione transuersali. Schidacidon dicunt fractionem ossis secundum longitudinem, sub qua comprehendunt Eisonycham quod in longitudine sua in semilunam terminetur. Alphytidon dicunt fracturam ossis in multas & varias partes in suo loco naturali aliquando manentes. Apothorausin vero appellant præcisionem aliquius partis ossis in superficie eius, manente illa par-

te à toto separata. Hę omnes fractionis species pos-
sunt cognosci Chirurgicis instrumentis quibus
Chirurgi vulnera percontantur , quibus cognitis
facilis est earum remissio , & curatio , vt sequenti
capitulo Deo dante videbitur.

De curatione fractionum.

C A P V T . III.

 V R A omnis fractionis consistit in re- *Cura fra-*
vniōne ossis fractio & in coagulatione etionam.
 illius : revnio partium ossis fracti sit
 industria Chirurgi peritissimi, dum ma-
 nu sua ossium fractoiū partes ad suum
 locum naturalem & situm reponit; in quo leco na-
 turali tamdiu sunt conseruanda ossa , quamdiu est
 opus ad ea vnienda & agglutinanda: communiter
 intrà quadraginta dies fit : in nonnullis autem be-
 ne valentibus & adolescentibus breuiori fit tem-
 pore; in senibus autem tardiori: quapropter liga-
 menta conuenientia eligenda sunt, qua de re le-
 gendus est Oribasius de fascijs & ligamentis.

Repositis ergo ossibus, quod cognoscitur figura
 naturali membrorum in quibus est fractio , deue-
 niendum erit ad agglutinationem & coagula-
 tionem partium ossium fractarū, quod fiet, tum natu-
 rali interiori balsamo vitæ, quo nutriuntur partes,
 & quo conseruantur; eo enim solo balsamo vtitur
 naturali, ad agglutinationem partium separata-
 rum: balsama enim exteriora quæ adhibentur ad-
 iuvant tantum & fouent balsamum illud internum

& impediunt ne corrumperatur, aut in alienam transfeat naturam, quo solo iuuamine natura habet opus ad opera sua perficienda ; balsama autem iuuantia naturam quamplurima sunt, vt est oleum sanguinis humani, oleum carnis humanæ, & oleum ossium humanorum, & alia multa quamplurima balsama passim in hoc opere enarrata, & præsertim in sectione de vulneribus quibus omnibus ut poterit Chirurgus cum prudentia debito tempore, ad agglutinationem ossium fractorum : vt autem melius ad scopum suum collimare possit, sequenti methodo curabit fractiones. In primis mittet sanguinem ex brachio opposito parti lœsæ, ad quantitatem viribus ægrotantis correspondentem postquam ossa fracta ad suum locum naturale remiserit : vt si sint omnino fracta & à periostio separata, auferanda sunt omnino & à parte rei scienda. Postquam autem hæc omnia ex arte facta fuerint sanguinem mittet vt diximus : deinde cataplasma astringens & refrigerans superius in capite de cura luxationum præscriptum, membro lœso applicabit : transactis decem aut octo diebus auferet, & partem perunget extracto Symphyti maioris & balsamis superius dictis, regimine vitæ obseruato eucyamo, & paucò, quiete partis lœsæ obseruata, præsertim donec coalescant omnia, & pars summo pruritu titilletur.

CONCLVSIO TOTIVS
OPERIS.

OM P L E T A M habes amice Lector, & absolutā Chirurgiam artem, Spagyrica methodo per tractatam: si quid est quod Gracis authorib⁹ Medicinae, ut aiunt, coryphais repugnet, id non industria factum putes, ut me ipsis clarioram, & in arte nostra subtilioram putē, aut videri cupiā; at tātum quod libratis undique ex omnibus harum scalarum authorum rationibus, veritatis & rationis plus in Spagyricorum libris inueniam, & curam citiorem & incundiorem, imo & variorem reperiam, quam in alijs Galenicorum sectis, quas tamen non reprobo, at in multis laudo. Quod si aliquando in ipsam acrior, & mordacior, quam postulet professio, qua fungor videar; id tantum est in particulares quosdam Medicos Galenicos, qui ignorata prorsus Chymia ipsa veluti vulpes Esopica maturos racemos vilipendunt. Itaque beneuole Lector si quid inter legendum, nimium durum & acre tibi occurrat, ne me picrocolam in Galenicos existimes; at tantum artis Spagyrica acer- rimū defensorem: nam vim vi repellere licet. Sunt equidem Galenicorum nonnulli, in propugnandis suis in Spagyricos iniurijs & calumnijs nimis pertinaces: itaque in posterum si inducias querant, linguam compensant, & amico loquantur eloquio, sic etiam tandem noster illis ridebit Apollo, arcanaque nostra habebunt



patefacta, & fideliter cōmunicata. Certissimum equidem est Paracelsū numquā ita intricate, & anigmatice scripturum fecisse, si Medici sui temporis, iniurys & calumnijs primi ipsum non affecissent: iniquum enim erat sua manifestare secreta his ipsis, qui passim suam sectam, & curandi methodum calumnijs dilaniabant: non ita tamē ego feci; at clare admodum scripsi, & lumen, facēque tenebris induxi, ut Chymia nitor percipiatur. Hilari fronte suscep quoſo lucubrationis mea labore, & talentum à Deo mihi communicatum, quod ni me vinceret proximerum promerendi cupiditas, abditis verborum enigmatibus adhuc occultarem: his interim utere Lector, ad laudem & gloriam summi, optimique Dei, & ad solarium Christi aſſclarum.

F I N I S.



TABVLA ALPHABETICA
Chirurgia Spagyrica.

A.



N	CHILOSIS quid
	& eiuscura. pa. 169
	Antimonij Balsamū.
	89
	omaium præstantius.
	91
Antimonij	purgatiuum quo modo
	fiat. 140. lin. 24.
Antimonij	vomitui preparatio &
	dosis. 54. lin. 16
Antimonium	sudorificum quo modo
	fiat. 158
Antrax	quid sit. 37
Auri potabilis	veritas asseritur. 135
Aurum potabile.	60. 128. 129

B.

B	Alsamum naturale quid sit. 14
	ex quibus componatur. ibid.
	Balsamum sanguinis humani. 69
	Balsami vitæ corrupcio unde de-
	pendeat. 70
	Balsamum ad vulnera neuorum.
	76
	Balsamum Antimonij omniū præ-
	stantius. 89. 91.
	Balsamum carnis humanae. 91

Balsamum	sulfuris. 97
Balsamum	margaritarum. ibid.
Balsamum	tartari. ibid.
Bezoard mineralē	59. lin. & eius
	compositio. 158. lin. 18. alia cōpo-
	sitio & vius. 54. lin. 16
Bilis	quid sit apud Chymicos. 19
Bubo	quid. 40. eiuscura. 43

C.

Cancer & eius cura	156. 157
Cancri occulti curatio contra	
Hippocratis aphorismum. 58. 60	
Capitis vleera interna. 116	
Carbunculus quid. 36 37. eiuscu-	
ra. 39	
Chirurgiæ antiquitas. 4	
Chirurgiæ chymicæ in eligendis	
medicamentis qualis sit scopus.	
29	
Chymica & Galenica scientia non	
dissentiant. 11. imo cōferuantur.	
21	
Combustio & eiuscura. 160. 161	
Contusio quid sit. 70	

D.

Darrheæ & fluxus ventris cura-
tio. 74

M

IN D E X.

Dysenteria deplorata curatio.	122		essentia.	156
E.		Mercurius sulphur & sal generaliter dicuntur.		
Erysipelas quid sit.	48	18		
Causa & cura eius.	49. 50	Mercurius vita in quibus reperiatur humoribus.		
F.		17		
Legmon quid sit.		32	Mercurij definitiones. 16. & ex quibus Substantiis componatur.	
F	Eius diuisio & cura.	33	N.	
Fistulae & earum curatio.		153. 154	N	Eruus ex quibus substantiis ponatur.
Fractio quid sit.		171	75	
Eius differentiae & species.		172	Meruorum vulneris Balsamum.	
Eius cura.		173	76	
G.		N.		
G	Angræna quid sit.	44	O	Edema quid sit.
Eius cura.		47	O	Eius species.
L.		ibidem		
L	Apis philosophorum.	128	O	Cura.
Lepra & lues venerea preparato mercurio curatur & auro potabili.		140	P	
Luxationes & earum causæ.		154.	P	
Earum signa & curatio.		166. 168	R	
M.		Rectoris interna vlcera.		
M	Argaritarum balsamum.	97	R	119
Medicamenti compositione ad omnes morbes.		54	R	Eorum cura.
Medicamentum sudorificum ibidem.			R	ibidem
Mercurij humidum radicale sive			P	Pigmentum faciei mirum.
			P	98
			R	Pituita quid sit apud Chymicos.
			R	19
R.		R.		
R	Ealgar quid sit.	36	S.	
		Remedium omnium morborum quale.	S.	
		118	S.	
		Rerum omnium cōpositio ex quibus fiat.	S.	17.
S.		S.		
S	Anguis quid sit apud Chymicos	125	S.	
		Sanitas unde fiat.	S.	
		125	M.	3

IN D E X.

Scyrrhus quid sit.	56	riæ.	73
Scyrrhus erysipelatodes.	57	Cura eorum.	73
Sphacelus quid. 44. & eius cura.	47	Vulnus cum solutione nerui.	75
Scrumæ & scrofulæ quid sint.	148	Eius Balsamum.	76
Earum causæ definitio & curatio.		Vulnus cum solutione ossis & eius	
149		cura.	77
Sulfuris Balsamum.	97	Vulnus venenatum & eius cura.	78.
T			
T artarus an sit humor vitalis.		Vulnus sclopetorum aliorumque	
21.		armorum igneorum,	85
Eius balsamum.	152	Quaratione differentia ab aliis.	86
Tartarus quid sit apud Chymicos.		Eorum cura.	87
56		Vulnus capitinis.	93
Tinea & eius duratio valde difficilis.	150. 151	Pectoris & eorum balsama.	95. 97
Tumores contra naturam.		Ventrissuperioris & infimi.	99
Tumor quid sit apud Chymicos.		Eius cura.	100
ibidem		Vulnus articulorum & iunctura-	
Tumorum differentiae. 20. causæ		rum.	101
efficients.	21	Eius cura.	102
Tumornm tempora.	24	De vulneribus.	103
Tumorum principio quid agendum		Vlecius quid sit.	106
27. quid in eis impedit corrup-		Vulnerum pus & sanies quid sit.	
tioinem. 28. qualia in principio		108	
medicamenta sint applicanda 29.		Vulnerum causæ.	108
qualia in eius augmento.	30.	Differentiae.	112
Tumoribus frigidis quid agen-		Eorum diagnostica & prognosti-	
dum. 30		ca signa.	114
V		Vleciæ internæ capitinis,	116
V lnus quid sit.	62	Pectoris.	119
Causæ & differentiae:	63	eorum cura.	ibidem
Vulnerum periculum unde depen-		Vleciæ internæ ventris.	121
deat.	64	eorum cura.	122
Vulnerum simplex quid sit.	67	Vleciæ ex influxu astrorum.	123
Differentia & cura.	68	Vita quid sit.	ibidem
Vulner ex solutione venæ arte-		Quaratione à cælo descendat.	124
		Eius sympathia & antipathia.	125
		Vleciæ simplicia.	130
		Complicata.	132
		Eotum cura.	134. 135

INDEX

Vleera ex defluxione & vnde fiat fontes in macrocosmo.	136	morbus.	142
Eorum cura.	137	Eorum cura.	145
Vleera leprosa.	138	Vleera ex combustione.	160.161
Eorum cura difficultis & impossibi- lis.	139	Vulnerum sanguis quibus reme- diis compescendus.	74.
Vleera venerea & vnde nam talis		lia.1L.75.lin.2.	



AD HVIVS AVCTO-
RIS ET CHIRVRGIAE
suæ verè chymicæ laudatissi-
mam experientiam.

Amica duo Epigrammata

Quis metuat posthac, lethali occumbere morbo?
Curat eum, vera, Chymicus, arte FABER.
Hoc tamen, ut fops est, intellige, Zoile, Corpus
Si, sine sit morbis, non sine morte fore:

Phaleucia.

Hinc Cancri, scrofulæ, lues, venena,
Leprosæ tineaæ, tetri tumores,
Exeste, & celeres procul migrate:
Aut noster Philochymicus FABER vos
Flammis mercurij sui vorabit.

Hæc posuit in tanti sui Medici, perpetuam, &
numquam intermorituram amicitiam: P·de
PASCHERIE Confiliarius Regius.

Extrait du Priuilege du Roy.

Par Grace & priuilege du Roy du vint-quatriesme
Janvier 1624 sellé du grand seuil en Cire laune signé
par le Conseil Defontaines. Il est permis à Pierre Bosc
marchant Libraire lury en Tolose d'imprimer ou faire
Imprimer vendre & distribuer par tout le Royaume un
liure intitulé *Chirurgia Spagyrica* Auctore *Petro Ioanne*
Fabro Doctore Medico Monspeliensi. Sans que autre que le
dit Bosc ou ayans droit de luy le puissent Imprimer ou
faire imprimer vendre ou distribuer iusques au terme
de dix ans à compter du jour & date de l'impression du
dit liure finie & ce sur peine de confiscation des exemplaires
qui seront trouuez auoir esté contrefaicts sur
l'impression dudit Bosc, & d'amande arbitraire.

Par le Conseil DE FONTAINES.

ERRATA AMICE SIC

corrigē.

Pagina 14 linea 21 lege tantam. 15. pa. lin. 31. lege Dei. 16 pa. lin.
17. lege vt loco & 20 pa. lin. 15. lege desumere & lin. 17. erysipelata
21 pa. in margine lege vitalis 32 pa. lege flegmonia 1. lin. & margine 33
pa. lin. 15. lege sal. 35 pag. lin. 2. lege Calcinati 36 pag. lin. 1. lege An-
trax 37 pag. lin. 15 lege Antraces 38 pag. lin. 2. lege Antrax cad. pa. lin.
7 lege rubini & lin. 20 affectam 39 pa. lin. 4 lege Antrax & lin. 6. febris
& lin. 23 acidum 41 pa. lin. 24 lege emunctoria 42 pa. lin. 18 lege incui-
tabilis & lin. 25 contaminatur 43 pa. lin. 29 lege eis loco ibi & lin. 30
scarificatæ 44 pa. lin. 3 lege speciei 47 pa. lin. 4 lege ignem & lin. 13
lege campanam 48 pa. lin. 22 lege corrosione 53 pa. lin. 1. lege repe-
riuntur 56 pa. lin. 11 lege comprimant 65 pa. lin. 1. lege cum loco non
69 pa. lin. 16 lege vini & lin. 21 citissimæ 70 pa. lin. 18. lege coloribus 29
in margiae lege viræ unde & penult. lin. lege aduentitij 73 pa. lin. 1.
lege spiritus 74 pa. lin. 23 lege distillato 75 pa. lin. 22 lege, vniuersa &
vltima linea conuulsiones 76 pa. lin. 9 lege carnosa 78 pa. lin. 18 lege
energias 80. pa. in margine lege venenati ead. pa. lin. 31 lege
virus 88 pa. lin. 25 lege primum 95 pa. lin. 9 lege symptomatica 115
pa. lin. 30 lege colore 116 pa. lin. 21 lege interna 132 pa. lege in margi-
ne complicatis 133 pa. lin. 31 lege corrodat 156 pa. lin. 7 lege easdema
158 pa. lin. 11 lege feculentum 159 pa. lin. 19 lege satis 164 pa. lin. 7 lege
omissæ 167 pa. lin. 6 lege atque loco & quæ 171 pa. lin. 8 lege transuersa-
les 173 pa. lin. 7 lege fracti & lin. 25 natura 176 pa. lin. 3 lege fecisse.

Acheué d'Imprimer le vingt-
cinquiesme Iuin, mil six cens
vingt-six. En l'Imprimerie de
I E A N B O V D E. Par
N I C O L A S D'E S T E Y.



